





8541.

1762, #52

18

SPECIMEN  
HISTORIAE IURIS CIVILIS  
VICISSITUDINES  
SUCCESSIONIS AB INTESTATO

APVD ROMANOS

EXPO NENS

ILLVSTRIS I.CTOR. COLLEGII AVCTORIT

VT SIBI ADITVM

AD SVMLOS IVRIS SCIENTIAE HONORES

APERIRET

A. D. IX. DECEMBRIS A. C. CICICCLXII.

AD DISCEPTANDVM PROPONIT

QVIRINVS GOTLIB SCHACHER

IURIS VTRIVSQVE CANDIDATVS.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.





VIRO  
SVMME REVERENDO  
EXCELLENTISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO  
D. CHRISTIANO WILHELMO  
KÜSTNERO

ICto

CAPITVLI WVRZENSIS CANONICO IN CONSISTORIO  
REGIO ELECTORALI ET IN COLLEGIO ICTORVM  
LIPSIENSI ASSESSORI CIVITATISQVE SYNDICO ET  
SCHOLAE THOMANAE ANTISTITI  
GRAVISSIMO

P A T R O N O O P T I M O

S. OBSERVANTER D  
QVIRINVS GOTLIB SCHACHER



CHRISTIANO HINDE  
KATHRÖ

CALITTI MUDANIA CLOCCO IN CONFERMO  
SEGO TERRAQUA ET IN COLOMBO IN TERRA  
TE OPIZ PUGLIA CLOCCO IN CONFERMO  
MAGISTER CALITTI PUGLIA CLOCCO IN CONFERMO

OMITPOOMIOAT

GARIBOLDI CERTIP SCHICHE

**G**raviter me hoc tempus admonet, quam  
sint omnia misera atque afflita. Do-  
lore, quem ex patriae calamitate  
omnes communem percipimus, qua propria volu-  
ptate iam consolaturus videbar, eius laetitiam  
nunc mihi repentina maximi luctus acerbitas con-  
taminavit. Ut enim proximus dies Louis, qui  
michi propter adipiscendam nominis dignitatem ho-  
norificus erit, quantum fieri posset, a me ipso ce-  
lebraretur, statueram istum libellum, velut eius  
diei testem, quem et ornatissimum et omnibus com-  
mendatissimum esse cupiebam, splendidissima lega-  
tione, ad PARENTEM TVVM data, illu-  
strare. Quo consilio, tum ob hanc, tum etiam  
illam ob causam delectabar, quod in utriusque ci-  
uitatis luce mihi tantum virum adire, SORORIS  
EIVS me nepotem ostentare, benevolentia et be-  
neficiencia eius in me praedicanda gratum apparere,  
illo denique iucundissimo accepti ante hos ipsos quin-

A 3

qua-

quaginta annos Doctoratus EI gratulandi officio  
defungi liceret. Descripta iam a librario et epi-  
stola ad illum et pars libelli erat: cum repens ecce  
mors TIBI OPTIMVM PATREM, ciui-  
bus omnibus egregium CONSULEM, et mibi  
AVVNCVLVM MAGNUM, qui mei aman-  
tissimus, et in quo compellando, atque ad initia ho-  
norum quasi auspice aduocando spem fixeram vnicae  
voluptatis et felicissime dignitatis, exiturum domo  
in curiam, abstulit. Quid TV mihi, a suauissima  
spe in tantae amissionis dolorem conieco, animi esse  
censes? Quamquam quid ad TE ista loquor?  
cuius ingens moeror, quem sapientia TVA leniet,  
meis querelis augendus non est. Sed ego in hoc  
ipso multum visus sum leuamenti habere, si hunc,  
qui BEATO VIRO consecratus erat, libellum  
ad TE, quem nobisILLE spirantem SVAE  
virtutis imaginem reliquit, deferrem. Vale,  
mibique et rebus meis fave.



INSTITVTI RATIO.

**S**olent plerumque, qui vel edendi academici speciminis necessitate compulsi, vel laudis, quam se ingenio et doctrina consecuturos sperant, dulcedine allecti consilium scribendi ceperunt, eo praefationis genere vti, vt vel si quid pro sua imbecillitate parum praefixerunt, se se excusent, vel quantam diligentiam in argumenti tractatione adhibuerint, comminemorent. Quod etsi minime reprehendendum videtur, cum saepe iniqua sint eorum iudicia, qui vel consilium scribentis, vel argumenti difficultates ignorant: nos tamen lectorum indulgentia et intelligentia potius, quam vlla vel necessitatis excusatione, vel virium nostrarum fiducia freti, nihil aliud huic libello praefandum putamus, nisi vt, quomodo in argumenti nostri explicatione versari voluerimus, declaremus. Igitur, ex quo studium iuris ciuilis primum amplexi sumus, illud inprimis officium nostrum semper existimauimus, vt veterem illam et accuratam summorum viorum interpretandi rationem, quantum eius a nobis fieri possit, sequeremur. Notum est autem, eam huc maxime redire, vt historiae ratio habeatur, inquiranturque causae, ex quibus tanquam ex fontibus illa varia et abundantia legum flumina dimanarunt. Quod si ad hanc rationem recte tenendam parum profecimus, ingenii nostri culpa fuerit; optimam quidem certe nos illam iudicasse, magnoque ad eandem opere contendisse, id re ipsa, studiorum aliquod specimen dare iussi, testandum esse arbitrati sumus. Neque vero quod summos homines in rem ardua imitamur, eo arroganter facere cuiquam videri debemus. Vt enim difficillimum est omnium omnino legum causas

expo-

## VIII

exponere atque inter se comparare, ita minor difficultas obicitur, si quis in singularium duntaxat iuris partium ratione atque origine perscrutanda, vult exerceri. Quo factum est etiam, vt in hoc genere plures elaborauerint, quos fere omnes in praefatione ad Hist. tutel. et curat. iur. Rom. lib. reip. percensuit Vir Consultiss. Ioan. Theoph. Segerus. Et in hac ipso, quam enarrare constituimus historia successionis ab intestato verfati sunt cum aliis, tum Ge. Christ. Gebauerus, Vir Perillustris, in Diss. de Success. inter ingenuos iure sanguinis ab intestato ciuili, et Christ. Henr. Breuningius Vir Consultiss. in Diss. de origine successionis in causa intestati. Verum isti partim ius interpretati sunt magis quam historiam exposuerunt, partim hanc non totam, sed in quibusdam tantum particulis illustrarunt. Quod nisi ita esset, nunquam fortasse post viros tantos idem argumentum desumere ausi fuissēmus. Illud non veremur, ne quis nos vituperaturus, quod studium collocauimus ea in re, cuius extincta iam pristina illa reipublicae forma nullus aut exiguus usus esse possit. Neque enim quisquam nostrum est, qui non et rerum populi Romani accuratam cognitionem ad interpretandum illius ius necessariam esse, et eo haud perspecto, ne nostrum quidem, praesertim priuatum, plane intelligi posse, agnoscat. Erat autem nobis propositum, historiam istam ad recentiorem usque aetatem deducere: Sed veriti, ne libellus hic grandior quam pro modulo academicci scripti futurus esset, narrationis filum alio tempore pertexturi, medium hic abrumpendum esse statuimus.

## L

### DE SUCCESSIONE SECUNDVM IUS GENTIVM.

Cum, vt Cicero ait, ius ciuile umbra quasi atque imago veri iuris h. e. naturalis germanaeque iustitiae sit, legesque ex optimis naturae et veritatis exemplis sint latae, videremur nobis peccaturi esse, nisi historiam successionis ciuilis a veritate iuris naturae

naturae ac gentium auspicaremur. An igitur sit aliqua successio naturalis cum quaerimus; illud quaeritur, quam ob causam natura talem successionem praecipiat? Grotius, quem per multi sequuntur, hanc causam a coniectura voluntatis defuncti repetendam putauit. (de I. B. et. P. II. 7.) Nam cum eam dominii naturalis vim ponat, vt a domino id non tantum simpliciter, sed etiam mortis causa, retento possidendi et fruendi iure, in alium transferri possit, vtique praesumtae voluntatis defuncti eandem auctoritatem statuit esse debere. Iam voluntatem ex eo praesumunt, quod, cum haud credibile sit, quemquam sua bona velle nullius esse, atque adeo cedere occupanti, naturalis amor hunc fere ordinem teneat, vt primum sit, quod debeatur, secundum, quod officio conueniat. Haec sententia et si non improbabilis est, et eadem quoque veteribus Iuris placuit, vt intellexisse nobis videmur ex verbis Pauli (cap. VIII. §. I. D. de iure Codicill.) omnem tamen dubitandi causam non tollit. Cur enim illi ipsi, quibus haec sententia placet, dubitant, an testamentum, quale definitur legibus iuris civilis (cap. I. D. qui test. fac. poss.) locum habeat in iuris naturalis veritate? Non enim facile recta ratio videtur admittere, vt aliquis dominium rerum suarum tunc in alium transferat, quando ipse dominus earundem esse definit. Quae causa etiam est, cur Grotius, testamentum definiens, (II. C. 14.) eius genus alienationem esse dicat. Vedit enim a naturali ratione abhorre, vt aliquis eo tempore de rebus suis, qua earum dominus amplius non est, decernat. Quodsi, an expressae voluntatis auctoritas valeat, dubitamus, quanto minus valebit praesumtae? Itaque, pro vera certe et prima huius successionis causa haberi non potest. Effecit id ipsum, vt, cum nullum fere existet iuris naturalis praceptum, ex quo hoc succedendi ius deduci possit, si solam liberorum successionem excipis, quae tamen magis dominii vel possessionis continuatio quam successio est, vt multi doctissimi Viri nominatum Gundlingius. (Iur. nat. Cap. XX.

§. 66.) nullum omnino iure naturali successionem ab intestato esse, sed defunctorum bona per occupationem acquiri iudicarent. Quam quidem sententiam multis nouis argumentis auxit Consultiss. Breuningius (in supra laudata. Diss. de origine success. in causa intest.) Sed si a primo naturae statu discedas, inuenies facile, hanc occupationem in ciuitate locum intenire non posse. Quis enim dissidiorum et contentionum finis foret, si ea sublata, bona occupanti cederent? Successionis igitur ab intestato necessitatem publicae tranquillitatis conseruatio induxit, inde dominii continuatio, debita liberis educatio, hisque deficientibus praesumta defuncti voluntas definiuit. Agnoscit hoc Paulus (cap. VII. D. de bon. damnat.) qui, *naturali*, inquit, *ratione quasi lege quadam tacita liberis parentum hereditas addicitur, et veluti ad debitam successionem vocantur, propter quod iure ciuii suorum heredum nomen iis inductum est.* Si enim successionis ab intestato gradus sunt definiendi, nihil aequitati magis est consentaneum, quam, ut ii bona accipiant, qui cum viuo patre quasi condomini fuissent, non tam occupare res, quam in iis dominium continuare videantur. Et profecto in eo, quod parentes liberis alimenta ob ipsam naturam debent, eorumque officium in iis educandis versatur, cum hac ratione haec liberis debita cura post parentum fata in ciuitatis utilitatem continuari possit, non leue pro naturali liberorum successione ineft argumentum. Inde ex eo, quod non primis solum, sed et vterioris gradus liberis, eadem iura debentur, quam naturalem necessitatem agnouit ipse Vlpianus (Cap. V. D. de agn. et alend. lib.) ut et hi reliquis praeferantur, efficitur. Sed discede a domo et familia, et difficile erit generalia quaedam praecepta tradere in quacunque ciuitate agnita, ad quae haec successio dirigi possit. Si solam consulas aequitatem, aequum profecto erit, ut, si gradus successionis, deficientibus iis, quibus propter ipsam naturam debetur successio, sunt definiendi, ad eius voluntatem respicias, qui harum rerum

rerum dominus fuit. Ne autem ex voluntate incerta litium nascatur causa, ut primum successionis consilium publica tranquillitas seruetur, successio non ex mera defuneti voluntate, sed potius ex communi hominum inclinatione et officio erit dijudicanda. Cuius quidem naturalis necessitudinis gradus eleganter descriptis Cicero de Off. L. L c. 1.

## II.

DE ORIGINE SUCCESSIONIS CIVILIS  
ROMANAЕ.

Successionem ab intestato Romae iam ante duodecim tabulas obtinuisse, certisque regulis fuisse adstrictam, certissimum est. Necesitatem enim eius generales quaedam causae in quacunque ciuitate agnitae constituerunt, gradus inde ipsa reipublicae Romanae forma definiuit. Sunt, qui putent, succedendi ab intestato rationem omnem ex legibus Atticis in leges decemvirales esse profectam. Inter hos maxime conspicuus est Galvanus (de Usu. Libr. VIII. cap. 13.) qui et ipsam suorum heredum successionem ex Solonis lege deriuare studet. Sed contrarium docuit Schultingius (ad Vlpiani fragm. XXVI. §. I.) Nos igitur certum habemus, suorum heredum successionem ante XII. Tabulas obtinuisse. Cum enim ex Romuli legibus patriae et maritalis potestatis fines latiores, quam apud villam gentem essent, ita, ut proprium ciuium Romanorum ius constituerent, effectum videtur, ut sui heredes illi tantum haberentur, qui patriae potestati essent subiecti. Hac ipsa de causa mihi persuadeo, iam ante leges XII. istam successionis regulam, qua succedendi iura capitisi deminutione peribant, ob ipsam reipublicae Romanae formam fuisse receptam. Illa autem difficilior est coniectura, vtrum a prima iurisprudentiae antiquae aetate iam ante leges XII. liberi omnino omnes, in patria agentes potestate legitimi patris heredes fuerint? Dionysius Hal. (Liber. II.

## XII

Antiqu. cap. 25.) eo loco, in quo Romuli sapientiam in definiendis finibus patriae et maritalis potestatis laudat, quasi inter praemia muliebris pudicitiae et obsequii successionem in bona mariti refert. Huius auctoritatem omnes fere legis decemuiralis, et plebiscti Voconii interpretes, hanc quaestione tangentes, sunt secuti. Placet haec sententia Balduino (Comment. ad leg. Voc.) placet et Wielingio (Leet. iur. ciu. Libr. II. cap. XIII.) Soli autem Pagan. Gaudentius et Iac. Perizonius Dionysii testimonium in dubium vocauerunt, (Diss. ad leg. Voconiam.) Sed cum de hac quaestione, opportunior in ipsa explicatione legis decemuiralis dicendi data erit occasio, haec in praesenti nolo virgere. Si Dionysii auctoritatem sequimur, hoc saltem certum est, filias, et si a successione non excluderentur, tamen, cum maiores feminas ne priuatam quidem rem agere sine auctore vellent, teste Liutio (Liber. 34. cap. 2.) in manu fuisse parentum, fratribus, et virorum, atque ita in bona quidem successisse, sed liberam de iis disponendi facultatem non esse consecutas, ita, ut, cum mulieres non nisi tutoris auctoritate emere, vendere, et obligationes contrahere, testamenta autem condere plane non possent; magis ius fruendi, quam verum dominium in ipsis rebus consecutae videantur. Porro, quod Romulus patri summan in familiam potestatem tribuit, ut Romanos facilius dominati assuefaceret, id necessariam familiarum conseruationem, agnitorum et gentilium successiones, suasisse videtur. Atque haec ab antiquissimis temporibus recepta successio moribus usque ad XII. Tabulas conseruata est. Ex legibus enim Atticis in decemuirales hanc successionem non esse translatam, ex eo facilime colligitur, quod fere in omnibus ab Attica successione differt. Locum successioni ex causa intestati decemuiriri tunc demum concesserunt, si quis sine testamento decederet. Haec testandi potestas apud Romanos liberrima, contra apud Athenienses adeo restricta erat, ut ex Solonis lege, quae prima in hoc genere reperitur,

iis

iis tantum concederetur, qui filios non haberent, (vid. Petitus in legibus Atticis Libr. VII. Tit. VI. et Meursius in Themide Attica Libr. II. cap. 13.) Neque enim probamus Galuani sententiam, statuentis, etiam hoc loco decemuiriros Solonis leges esse secutos, necessariamque fecisse suorum heredum successiōnem, ita, ut patri, qui suos relinquaret heredes, omnino testamenti factionem negauerint. Nam postea introducta querela inofficiosi fatis ostendit, patris in testamento liberos exherēdandi facultatem liberimam fuisse, quod quidem clare indicat Pomponius cum ait: latissimam istam potestatē coangustatam interpretatione iura constituentium (c. 120. D. de V.S.) Neque in successione agitorum legum Atticarum in iure decemuirali clara et aperta inuenimus vestigia. Leges Atticae agnatos praeferebant cognatis, sed hos non plane a successione remouebant. Quod, si quis dicat, ex Lacedaemoniorum, aliarumque Graecarum gentium institutis quaedam ad Romanos peruenisse, cum antiquissimis temporibus Romanos Graecorum instituta seruasse moribus constet, id quidem certe nostrae opinioni non est contrarium. Contentimus enim successionem in legibus XII. Tabularum constitutam, non ex Graecis legibus esse petitam; sed ex moribus et forma reipublicae Romanae in leges decemvirales esse translatam.

## III.

## DE SUCCESSIONE EX XII. TABVLIS ET INTERPRETATIONE PRVDENTVM.

Lex decemuiralis, quae est de successione intestatorum, duo capita vel duplex ius continet succedendi, alterum sanguinis, alterum patronatus. Sunt autem illius legis verba, sicut a Godofredo in III. Fontibus exhibentur huiusmodi:

*Ait si intestato moritur cui sius heres nec escit Agnatus proximus familiam habeto: Si agnatus nec escit Gentilis familiam heres nancitor.*

B 3

Sane

## XIII

Sane diuersae sunt veterum scriptorum in proponenda hac lege lectiones. Vlpianus (Libro singulari, sub Titulo de legitimis hereditatibus, apud Auctorem Coll. legg. Mosaic. et Rom. Tit. 16. §. 4.) *Si intestatus, inquit, moritur, cui sius heres nec est, agnatus proximus familiam habeatur: signatus nescit, gentilis familiam heres hanc, in quibus verbis reponit Godofredus nancitor pro hanc.* Marq. autem Freherus (in Parergis Libr. I. cap. 9.) omittit vocabulum *heres* et sic restituit legem: *Si agnatus nec est, Gentilis familiam nancitor, i. e. si agnatus non sit, gentilis familiam nanciscitur, ita enim necessit et nancitor antiquitus dictum ex Feste docet.* Quam quidem lectio-  
nen probat Schultingius ad hunc locum, nec improbabilis con-  
iectura putat, illud *hanc*, quod est initium *78 nancitor*, reman-  
isse. Mauult tamen pro nec esset, legere nec exstabit, cum  
sius heres proprio dicatur non existere sed exstare (in notis ad  
Vlpiani Fragn. XXVI. §. I.) Apud Auctorem librorum ad  
Herenium Libr. I. cap. 13. et Ciceronem Libr. II. de inuen-  
tione, tum suorum heredum mentio, tum repetitio illa; *Si agna-  
tus non esset omittitur, verbaque exhibentur hoc modo: Si  
pater familias intestatus moritur, familia pecuniaque eius agna-  
torum gentiliumque esto.* Ac verba *Pater familias et pecunia,*  
explendae sententiae causa esse adiecta, facile patet. Quare  
praferenda est prior lectio, praeterquam enim quod accuratius  
proponit legem nostram, ei hoc sciendum est, auctorem libro-  
rum ad Herennium non tam verba, quam sententiam legis ad-  
duxisse. Sed clare ait Vlpianus, his verbis gentiles ad successio-  
nem vocari: *Si agnatus nescit Gentiles familiam nancitor* (Legg. Mosaic. et Rom. Coll. Tit. XVI.) Accedit, quod eodem  
modo verba proponantur ex Vlpiani Libr. 46. ad Edict. cap.  
195. D. de V. S. Iam nostri interpretes in constituenda hac  
lege, cum omnes verba Vlpiani sint fecuti, non admodum inter-  
se differunt, sed in eo elaborarunt, ut plura e quibusdam  
ICtorum locis, quam quae Vlpianus habet, successionis capita  
dedu-

deducerent. Ac Paulus quidem Merula (de legg. Rom. cap. XIII.) singulari XII. Tabb. capite liberos ad successionem in bona paterna vocatos ait, quod in haec verba scriptum fuisset: *Filii Filiaeque familias honorum paternorum sui suaequae heredes sunt.* Eiusque legis sententiam ex §. 2. Inst. de hered. qualit. et different. et ex §. I. Inst. de hered. quae ab intestato deferruntur, dedit. Ait enim Imperator, intestatorum hereditates, ex lege XII. Tabb. primum ad suos heredes pertinent. Sed, neque reperitur hoc caput inter reliquias legis nostras, neque fuisse, verba Imperatoris evincunt. Cum enim caput nostrum agnatos tum demum ad hereditatem vocet, si sui heredes non essent: hi primo loco vocati intelliguntur. Quid igitur opus est, ut ad ius eorum declarandum aliud speciale caput nobis effingamus? Alii auctoritate Gellii diuersorumque ICtorum moti, singulari capite postumorum intra x menses post mortem patris natorum successionem ordinatam putant, et eiusmodi legis verba sibi fingunt haec: *si qua molier post virei mortem in decem proximeis mensibus pariat quei quaque ex ea nascatur souis souaue in virei familia Heres est.* Prouocant autem ad Julianum, qui, in cap. 17. D. de suis et legit. hered. lege XII. Tabb. eum vocari ait ad successionem, qui moriente eo, de cuius bonis quaeritur, in rerum natura fuerit. Quam quidem legis sententiam, facta XII. Tabularum mentione, et alii adducunt ICti. Etsi hoc caput magis ex ingenio, et conjectura ICtorum est concinnatum, tamen leges XII. de decimo mense in postumo legitimo singulare quid constituisse probat locus Gellii, qui (Libr. III. c. 16.) factum esse, inquit, negotium propter rationem temporis, quasi marito mortuo postea concepisset, quoniam decemuiri, in decimo mense gigni hominem, non in undecimo scripsissent. Godofredus itaque legem ex Gellio, omis- sis iis, quae ex conjectura adiecta erant Tab. IV. de iure patrio et connubii proponit. Aliam, de successione ab intestato, ad suos heredes pertinentem legem ex l. 2. 3. et 4. Cod. de suis et legit.

## XVI

legit, deduxerunt Hotomanus et Antonius Contius (Coll. XII, Tabb.) *si intestatus moritur, cui sius exstabit filius, nepos nepotesque ex alio filio, qui in rebus humanis non erit, manentes in sacris patris, nepos pariter succedat, nepotes vero in stirpes familiarian hervescendo.* Sed hoc videtur magis interpretatione legis decemuiralis quam eiusdem verbis constitutum. Nihil enim mouet, quod Imperator, citato loco, euidenter ait caueri, ut intestato defuncti filius ac nepos ex alio qui mortis eius tempore in rebus humanis non inuenitur, manentes in sacris, pariter succedant, quae verba sunt Iustiniani loco citato, nam euidenter in lege caueri id quoque dicimus, quod eius interpretatione facile intelligi potest. Quare, cum verba legis nullibi inueniantur, melius est Callistratum sequi qui (cap. 220. D. d. V. S.) docet: nepotes et pronepotes, ceterosque qui ex his descendunt, suorum appellatione legem XII. comprehendere. Diximus vero supra, decemuiriis, in constituendis his legibus, reipublicae Romanæ status rationem habuisse, in eoque elaborasse maxime, ut Romanorum utilitati inseruissent ciuitatisque formam firmissimis quasi munimentis stabilirent atque seruarent. Iam igitur operae pretium nos facturos esse putamus, si, antequam ad interpretationem legis nostræ accedamus, paulo accuratius in causas eius inquiramus. Sunt vero diuersæ eruditorum super his causis opiniones. Existimant multi et doctissimi viri, conseruationi sacrorum religionisque domesticæ multum decemuiriis in constituenda successione tribuisse. Ac profecto negari non potest, omnes fere gentes, quarum bene ordinatae essent respublicæ, maxime vero Romanos, sacra eo magis conseruanda, duxisse, quo perniciosius esset nouam introducere religionem. Cuius quidem Romanorum in religionem peregrinam odii causas optime recenset Postumius in oratione de Bacchanalibus apud Liuium (Libr. XXXIX. cap. 16.) Inde hoc ipsum conseruandorum sacrorum studium non solum ad publica, sed etiam ad priuata familiarium sacra pertinuisse,

auctor



auctor est Cicero (Liber. II. de legg. cap. 1.) postquam enim hanc recensuit legem *sacra priuata perpetuo manento* cap. IX. de sacris inquit: *haec una sit sententia, ut conseruentur, semper, et deinceps familiis prodantur, et ut in lege posui, perpetua sint sacra.* *Vt vero hoc consilium facilius obtineretur, ne morte patris familias sacrorum memoria occideret, iis sunt adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia peruenit.* Porro huc facere videntur Ciceronis verba in Orat. pro Murena cap. XII. *Nam cum multa, inquit, praeclare essent instituta, ea Ictorum ingenitis pleraque depravata sunt, sacra interire illi noluerunt, borum ingenio senes ad coemtiones facientes interim eorum sacrorum causa inueniri sunt.* In contraria sententia fuit Io. Aug. Bachius in excursu ad Brissoniūm (Liber. I. cap. 221.) qui potius statuendum putat, Pontificum auctoritate sine lege hoc ius constitutum esse, vt qui pecuniam accepissent, sacris adstringerentur. Non enim solos heredes legatariosque, sed et creditores qui plurimum seruassent, et qui nullo existente herede plurimum vsu cepissent possidendo, ad strictos sacris fuisse (Cic. de legg. II. 19.) Sed nostrum non est in hac causa iudicare, eamque doctioribus et peritioribus relinquimus. Hoc nobis sedet, Decemuiriōs in constituenda successione plurimum ad conservationem familiarum agnationumque respexisse. Illo enim, ut opinor, consilio condominia ista inuenta sunt, quibus omnis suorum heredum successio nitetur. Primum enim in deferenda hereditate Decemuiri praesumti condominii rationem habuerunt. Quod cum competenteret suis heredibus, hi proprie loquendo, non iure ciuili ad hereditatem vocari, sed suo quodammodo iure ipsius naturae iussu succedere dicuntur. Quam in rem eleganter Paulus (cap. XI. D. de liberis et Posth.) *in suis*, inquit, *heredibus evidenter apparet continuationem dominii eo rem perducere, ut nulla videatur hereditas fuisse: quasi olim bi domini essent, qui etiam viuo patre quodammodo domini existimarentur, unde etiam filius familias appellatur, sicuti pater familias, sola nota hac adiecta, per quam*

C

distrin-

## XVIII

distinguitur genitor ab eo qui genitus sit. Itaque post mortem patris non hereditatem percipere videntur, sed magis liberam honorum administrationem consequuntur, hac ex causa, licet non sint heredes instituti, domini sunt: nec obstat, quod licet eos exheredare, quod et occidere licebat. Quale autem hoc condominium nobis videatur, dicendum est. Duplici enim, nec leuiori impli- camur difficultate, scimus, quanta fuerit patria potestas antiquis temporibus. Condominos nominat Paulus filios familias, addens, nec obstat, quod licet eos exheredare, quod et occidere licebat. At quomodo dicamus, condominium fuisse filium familias, qui ita patris potestati esset subiectus, ut non solum vendere pater eum posset, sed etiam necare. Quid nobis videatur, dicamus. Magna fuit, non negamus, patrum familias apud Romanos in liberos potestas, neque tamen tanta, quanta quidem in seruos ceteramque familiam competebat, cum ciues Romani ipsi essent, et personae. Princeps familiae erat pater, ei quasi quaedam iurisdictio in personas ipsius potestati subiectas competebat, quae quidem ius vitae et necis non pro lubitu, sed causa cognita exercendum, contineret. Hinc domesticus magistratus apud Senecam (Libr. I. de benef. c. II.) et apud Svetonium (in Claudio cap. XVI.) censor familiae appellatur. Domestici huius iudicij multa exempla exhibet Valerius Max. (Libr. V. c. VIII.) quae tamen non indistincte ad hunc locum referri debent, cum animaduertentes in filios saepe magistratus personam cum patria coniunxerint. At habebat pater ius vendendi filium. Concedimus, Romuli temporibus summam parentum in liberos fuisse potestatem, et post tertiam demum venditionem filium ex patris potestate exiisse, sed Constantium quomodo interpretetur (I. vlt. Cod. de patria potestate) *Libertati a maioribus tantum impensum est, ut patribus, quibus ius vitae in liberos necisque potestas olim erat permissa, libertatem iis eripere non liceret.* Nonne eripiebat qui venderet? Theod. Marcius, Iac. Raeuardus, et Conr. Rittershusius (ad Legg. XII.) liber-

libertatem hoc loco pro ingenuitate accipiunt, et ita licuisse quidem patri vendere filios, et in seruitutem redigere putant, salvo tamen libertatis, i. e. ingenuitatis prerogativa, sic, ut manumissi inter ingenuos censeantur, non autem inter libertinos. Huic quoque sententiae accedit Cornelius v. Bynckerhoeck (de iure occidendi vendendi et exponendi liberos cap. 12.) Godofredus erroris arguit Dionysium Halicarnassum, quod serio licuisse vendere filium affirmet, cum Romuli lex de venditione non vera, sed imaginaria intelligi debeat. Sed veram hanc venditionem fuisse constat, idque idoneis argumentis ostendit Schultingius (ad Iul. Pauli sent. recept. Libr. VIII. Tit. I.) Si nobis aliquid dicere licet, dicamus. Romuli temporibus seria fuit haec venditio. Conueniebat enim haec dura lex institutis Romuli, populum seruituti assuefacere volentis. Sed mitigatis paululum, sub Numae imperio Romanorum moribus, hanc ipsam legem iam restrictam esse, negatumque parentibus ius vendendi filios, quibus uxores ducere permisissent, scimus. Postea, electis regibus, mutataque reipublicae forma, cum ciuiis Romani et ingenui maior inciperet esse auctoritas, haec venditio, qua ciues reipublicae eriperentur in desuetudinem abiit. Quare arbitror, hanc liberorum venditionem, licet in leges XII. translata esset, quia tamen moribus et reipublicae statui non conueniret, prudentum interpretatione succedente, imaginariam esse coepisse. Atque hac ratione poterunt forsan inter se conciliari Dionysius, qui seriam hanc venditionem fuisse affirmat, et Constantinus in supra adducta l. vlt. Cod. de patria potestate, nimirum, ut illum de Romuli lege, quoad vim suam obtinuit, hunc, de mitiori sub prudentibus aetate intelligamus. Nam et Vlpianus patriam potestatem licet eam sciret legibus introductam esse, tamen ad interpretationem prudentum respiciens, ius appellat, moribus receptum. Non enim a me impetrare possum, ut mihi persuadeam, per mores hoc loco intelligi leges duodecim Tabularum. Scio quidem interdum moribus tribui, quod lege caustum

sit, neque me fugiunt exempla, quae huius sententiae confirmatae causa attulit Noodius (Libr. I. Prob. c. 17.) Sed hoc indistincte factum non est a ICTis, neque conuenit Vlpiano, qui fere ubique accurate iurium origines indicavit, cuius accuratioris diligentiae exemplum habemus in cap. I. D. de curat. furios. dandis. Male igitur tradit Heineccius sublatae huius venditionis auctorem Diocletianum fuisse, (in l. I. Cod. de patrib. q. fil. suos distraxerint) contraria enim sunt huic sententiae, et ipsa imperatoris verba, qui ait; *manifestissimi iuris est liberos a parentibus in alios transferri non posse*, et Paulli testimonium (Libr. V. Sent. Recep. Tit. I. §. 1.) qui iam parentum potestatem in liberos ad operarum locationem restringit. His remotis, facile patet, hanc patriam potestatem, presumptum illud et naturale condominium, de quo Paulus loquitur, minime excludere. Credimus igitur non quidem verum et ciuale dominium habuisse filium in rebus paternis, sed presumptum et naturale. Plane ait Cicero naturali ratione quadam, parentum et liberorum communia bona esse (Verr. I.) Ita etiam facile remouetur alia dubitatio, quod, cum in quocunque dominio ius adefesse debeat firmum, parentibus tamen impune exheredare filios licuerit. Scimus enim testamenta instar legum fuisse, poterat igitur testamento hoc naturale dominium, quod lege ciuali non erat firmatum, auferri. Ad hanc condonii fictionem maxime decemuirs in condenda hac legi respexisse probabile est, cum suos heredes non expresse lege ciuali ad successionem vocarent.

Nunc ad ipsam legis interpretationem aggrediamur. Quodsi enim post leges XII. Tabularum breues illas et obscuras nascibatur dubitatio, ICTi eam vel disputatione fori, vel legis interpretatione definituerunt. Quod inde omnibus vel plerisque placuisse, magnam in iudiciis auctoritatem, et ventum moribus, vel vsu fori probatum, vim iuris obtinuit. Ita Papijanus (c. VII. D. de Iust. et Iure) prudentum interpretationem,

nem, licet sciret, priuatorum hominum sententias vim iuris non habere, tamen inter partes iuris ciuilis commemorandam esse putauit. Quia igitur ratione diuersa succedentium iura ex breuissima hac legis decemuiralis formula nata sint, videamus. Cohæret illa cum antecedente, qua quidem decemuiriri liberam testandi potestatem his verbis: *Pater familias vti legassit super pecuniae tutelaeue, sua rei ita ius esto, concesserunt.* Hunc enim ordinem leges XII. seruasse testatur Vlpianus (cap. I. D. si tab. test. nullae extab.) Cum igitur, quod tunc temporis omnia testamenta in calatis comitiis vel in procinctu fierent, soli patri familias et ciui Romano testandi competenter facetas, Decemuir de successione in eorum tantum bona, qui et ciues Romani, et sui iuris essent, disposuerunt. Quare excludebantur filii familias, quibus quod testamenti factio publici iuris est, ne permittente quidem patre testamento facere licebat. Sed an intestati appellatione excipiuntur mulieres patria et maritali potestate solutae, quaeritur? Secundum verba, de feminarum hereditate nihil lege constitutum est. Intestati enim nomine venire non potest, cum quo testamenti factio non est. Omnis igitur quaestioni summa huc reddit, vtrum mulieres prima iurisprudentiae aetate, quam antiquam dicimus, bona omni dominii plenitudine possederint, an veteri iure a possessionibus fuerint exclusae? Prius omnibus fere legis decemuiralis interpretibus placuit, posterius a Perizonio non tam defenditur, quam conicxit. Quid nobis videatur dicamus. Prima antiquae iurisprudentiae aetate liberi quidem omnes in patria potestate agentes legitimi patrum fuerunt heredes. Hoc enim Dionysius omni consentiente antiquitate memoriae prodidit. At cum Romani antiquissimis temporibus, quantum fieri posset, feminarum audaciam coercerent, a possessionibus eas abstinuerunt, ita, vt magis fructus earum percipere, quam pleno domino eas habere viderentur. Habeo confirmanda huic ex coniectura sententiae duplex argumentum. Alterum testimoni

nio initui Liuii, qui mulieres in manu fratrum fuisse, ait (Liber. XXXIV. cap. 2.) alterum ex ratione iurium familiarium petutum est. Pertinebant enim ad familiarum iura potissimum sacra, quae soli habebant sui iuris mares, feminis in patris vel mariti sacris non minus ac potestate constitutis. Fingebar igitur decemviri condominium, cuius consilio femina capite non minuta sacrorum et bonorum paterna gentis particeps esset, ita tamen, ut, ne pecunia et sacra disiungerentur, magis fructus eius partis, quae ex paterna hereditate ad eam perueneras, percipere, quam eam omni priuatae potestatis plenitudine habere videretur. Mortua igitur femina, quae non in patris vel mariti potestate esset, bona eius ad proximum agnatum, et, nisi fallor, fictione quadam condominiū pertinebant. Quid si vxor in manum conuenerat? Forsan non improbabilis esset coniectura, si quis diceret mulierem marito nihil ex paterna gente attulisse, hoc saltem certum est, in contrahendis nuptiis tutoris auctoritate iis opus fuisse, ne scilicet agnatorum tutelae et iuri aliquid sine ipsorum auctoritate detraheretur. At non diu haec seuerior disciplina stetit. Posteaquam enim Roma viribus et diuitiis augeri coepisset, mitiori sub prudentibus aetate, iuris antiqui rigor valde mitigatus est. Quanta enim ante plebiscitum Voconium mulierum fuerit potentia, optime colligi potest ex Oratione M. Catonis pro lege Oppia apud Liuum (Liber. XXXIV. c. 2. 3. 4.) Iam tunc forte debilitata erat matrimoniorum fides, fractaque virorum et tutorum in feminas potestas. Vicit enim mulierum impudentia, auctoritatem M. Catonis legem Oppiam defendantis. Nec sine causa addit Valerius Maximus (libr. IX. 3.) *Non peruidisse Seculi illius viri, ad quem cultum tenderet insoliti coetus pertinax studium, aut quo se usque effusura esset, legum viatrix audacia.* Probabile sane est, his ipsis temporibus, iuris antiqui rationem de seminarum tutela valde esse immutatam. Cum enim ob sumtuosissima matrimonia dotum nata esset necessitas, de quibus in vetustis legibus altum

altum silentium est, et Romani testandi facultate abutentur, ad eludendam veteris iuris regulam, qua ad filias emancipatas ex paterna hereditate nihil poterat peruenire, inuentae sunt a ICtis cautions, quarum auxilio mulieribus bona plena potestate possidenda darentur. Huc pertinet ea, cuius meminit in Orat. pro lege Voconia M. Cato (apud Gell. Libr. XVII. c. 7.) qua in ipsa dotis datione mulieres bona retinerent, quae in manum mariti non committerent. Ita ut non adeo improbabilis sit Cuiacii sententia (Observ. Libr. VII. c. II.) statuensis, matribus familiae licuisse sine tutoris auctoritate testari, si de hac aetate intelligatur. Postquam autem propter imminutam in feminas potestatem, pleniori iure res ad eas pertinenter, et legi Voconiae moribus esset derogatum, ICti ex sententia legis decemviralis has quoque successiones definierunt. Nam feminarum hereditates proinde agnationis iure redire ac masculorum, testatur Caius (Coll. legg. Mos. et Rom. Tit. XVI.) Quapropter ante SClum Orphitanum ea in manum conuentionis vis fuit, ut liberi hereditatem maternam non quidem ut liberi, sed fictione quadam agnationis consequerentur. Quo pertinent verba Caii: *Sororis loco nobis etiam est mater, aut nouerca, quae per in manum conuentionem apud patrem nostrum ius filiae consecuta est.* Sine in manum conuentione autem, quia inter matrem et liberos neque suitas neque agnatio est, matris intestatae hereditatem ad liberos iure ciuili antiquo non pertinuisse, auctor est Caius l. c. *di recte obne iuris illius in mortali* *IV*  
*Moriente igitur patre familias nullo, vel non iure facto testamento relieto, primo loco ad suos pertinebat hereditas, quorum omnis successio fictione condominii nitebatur. Adde huic fictioni perpetuam mulierum tutelam, et iuris antiqui regulam, qua omnes legitimae hereditates capitis diminutione peribant; et habebis profectio regulas, ad quas omnis suorum heredum succedendi ratio a ICtis composita est. Cum enim duplii iure conspicua esset priuata ciuis Romani potestas, rerum, et fac-*  
*rum,*

## XXIII

rum, ii solum habebantur sui heredes, qui in potestate et sacris constituti essent. (vide Vlpianum apud Coll. legg. Mos. et Rom. Tit. XVI. §. 4. Caium in Inst. Libr. II. Tit. 8. et Iustinianum §. 2. Inst. de hered. qual. et diff.) Sed suorum heredum definitionem, omnibus suis numeris absolutam, apud veteres ICtos frustra quaesueris. Nam quod ait Iustinianus: *Sui heredes sunt, qui in potestate morientis fuerunt*, si definitionis lege dixisset, notari posset. Neque enim omnes in patria potestate constituti, neque ii soli sui erant heredes. Quare meliorem substituit definitionem Ranchinus (de success. ab intest. §. 3.) Apte tamen Vlpianus duo suorum heredum genera constituit, alterum liberorum, qui in potestate agerent, alterum eorum, qui liberorum loco essent. Piores ad descendentes per virilem sexum reuocat Caius (l. c.) in eorum autem censu, qui liberorum loco essent, vxorem per in manum conuentionem viro iunctam, et adoptiuos fuisse, notum est. (Gellius Libr. XVIII. c. 6.) At dubium plerisque videntur, vtrum ante plebiscitum Voconium a legitimis hereditatibus prohibitae, veteri iure, feminae fuerint. Legis decemuinalis interpres, cum Iustiniani auctoritatem sequerentur, parum de hac quaestione fuere solliciti. Sed hanc causam accuratius tractantes, Pag. Gaudentium (de fem. succ. c. 13. et 15.) et Iac. Perizonium reipublicae Romanae forma, iuris Attici ratio, et denique opulentiores ante Plebiscitum Voconium dotes, mouerunt, vt Dionysii et Iustiniani auctoritatem in dubium vocarent. Displicuit tamen haec sententia Wielingio (Lect. Iur. ciu. L. II. c. 25.) qui potius, fori disputatione, legitimae hereditatis ius feminis admittum fuisse statuit. Adhibitis autem, quas posuimus, cautionibus, Dionysii sententia formae reipublicae Romanae non contraria erit. Nihil enim aequius poterat videri, quam, vt certa pars mulieribus vel in patris, vel in mariti hereditate tribueretur, ne a proximis neglectaetur ppter egere cogerentur. Ex altera denique iuris antiqui regula,

regula, qua sollempni modo elocatae a legitima parentum hereditate excludebantur, optime largitatis Romanorum in constitutis dotibus causae reddi poterunt. Haec igitur fuit liberorum antiqua successio, neque probabile videtur interpretatione prudentium feminis hoc ius ademtum esse. Hic enim rigor neque Iureconsultis, de quibus Cicero ait, eos genera tutorum inuenisse, qui in mulierum potestate essent, neque moribus istius seculi convenire videtur. Postumum autem, quod condominii fictio proprie in eo locum inuenire non posset, (ait enim Paulus (Sentent. Recept. Libr. IV. Tit. VIII. §. 6.) *in suis heredibus ad mortem testatoris rerum hereditiarum dominium continuatur,*) speciali capite Decemuiri ad successionem vocauerunt. Quapropter mallem hoc caput cum aliis ad intestatorum hereditates, quam cum Godofredo ad tabulam de patria potestate referre. Hanc legis decemuiralis de suis heredibus sententiam exceptit interpretatio prudentum, cuius exempla quaedam subiiciamus. Quid si enim, cum XII. Tabulis liberrima testandi potestas esset, eueniret, ut pater filium exheredaret, filius autem, deliberante herede instituto, decederet, inde, reputata hereditate, nepos ad successionem ab intestato tanquam suus heres interpretatione prudentum vocabatur. Quod etiam de filio sub conditione instituto, et ante impletam conditio-  
nem mortuo, dicendum putat Vlpianus c. 1. §. 8. D. de suis et legit. Quod tamen tunc demum locum habebat, si moriente aeo, nepos in rerum natura i. e. faltem conceptus fuerat, post mortem aui enim conceptus nepos exhereditati filii, hoc mortuo, in locum deficients heredis scripti non admittebatur (cap. 6. D. de suis et legit.) Interdum autem, et si quis in potestate parentis mortis tempore non fuerat, tamen suus efficiebat heres, si scil. captus ab hostibus iure postliminii esset reuersus. Ille enim, vii omnia, ita etiam suitatis recuperabat iura. Quod quidem ius etiam ad nepotes transferebatur, quorum pater nunquam ex captiuitate esset reuersus, cuius exem-

D

plum

plum proponit Vlpianus. (cap. i. §. 5. D. de suis et legit.) A quo tempore hoc ius obtinuerit, cum postliminii origines ignorentur, non facile est indicare. *Antiquitus* placuisse, ut ab hostibus capti, iure postliminii reuertantur, ait Modestinus. (c. IV. D. de Capt. et Postl. recessi.) Imperator Diocletianus ius istud fictioni legis Corneliae tribuit (i. 9. Cod. de Postl. reuersi) quod tamen recte reprehendit Hotomanus (Comm. ad Inst. Libr. III. Tit. 16.) Non enim fingebaratur, patrem ipso captiuitatis momento mortuum esse, sed filium nunquam in captiuitate fuisse, quae fictio postliminii, non legis Corneliae fuit. Sic quoque filius ex primo vel secundo mancipio manumissus suitatis recuperabat iura. Cum enim post tertiam demum manumissionem ex patris potestate discederet, ex primo vel secundo mancipio manumissus, simulac in eam reuersus esset, iura status recipiebat. Ita quidem, ut si pater familias eo tempore, quo filius in mancipio maneret, testamentum fecisset, libertate testandi restricta, id quidem ab initio valeret, inde vero agnatione sui heredis rumperetur. (Vlpian. Frag. XXIII. 5.) Neque, quominus hoc fieri potuerit, obstat, quod supra diximus, imaginariam tantum hanc venditionem fuisse. Pertinebat enim emancipatio filii familias ad fiduciariae mancipationis genus, qua quidem saepius res quoque amico probatae fidei per aes et libram venderetur, interposita fiducia, ut post certum tempus eandem rem venditori emtor remanciperet, et ita emancipationem filii familias non continuo actu, sed singulas mancipationes, vel iisdem, vel etiam aliis testibus, vel eodem die, vel intermisso tempore fieri potuisse, docet Paullus (Liber. II. c. 25. in sent. recept.) et Caius (Inst. Libr. I. Tit. VI.) qui filii emtorem patrem fiduciarum appellat, a revendendi lege, venditioni apposita. At ais, obstant tibi, ut haec ita intelligas, verba Paulli (Sent. Recept. Liber. V. II.) *veritati et origini ingenuitatis manumissio quoctunque modo facta fuerit, non praeiudicat*, quae de ingenuitate filio familias per vendi-

venditionem non eripienda, recte explicat Theod. Marcilius (interpret. legg. XII. c. 25.). Negari profecto non potest, haec de vera venditione et manumissione dicta esse, facile tamen erit, si fragmenti, e quo haec verba desumpta sunt, sententiam conferas, intelligere, non de recepta, sed de illicita liberorum venditione Vlpiani verba esse interpretanda. Haec igitur fuit legis deueniuralis et I<sup>C</sup>torum de suis heredibus sententia. Ipsam autem inter eos obseruandam successionem ius viuueritatis in familia definiuit. Cum enim sui heredes non tam succedere, quam dominium continuare viderentur, factum est, primum ut aditio iis necessaria non esset, deinde, ut nec tutoris auctoritate pupillis, nec curatoris assensu furiosis, sed ipso iure utrisque acquireretur hereditas. Nam succedimus in rebus defuncti, non in rebus propriis (c. XXIV. D.V.S. c. 62. D. de R. I.) vnde Paullus, (Liber. IV. Sent. Recept. VIII.) de suis heredibus ait, eos ad mortem testatoris rerum hereditiarum dominium continuare. In quo loco non opus est, vt cum Schultingio legamus *a morte* melius enim dicitur *ad mortem de iis*, qui viuo patre quodammodo domini fuerunt. Quod iam obseruauit Vir Summus Gebauerus. (l. c.) Non tamen probamus Galuani sententiam (de Vfusr. c. VIII.) statuentis, in suis heredibus plane nullam suisse successionem. Obstat enim libertas testandi, quam patribus familiis male negavit Galuanus. Hoc tamen probabile est, ius representationis ex hac fictione condominii premaxisse. Iisdem autem modis, quibus sacrorum bonorumque communio, iisdem quoque suitatis iura amittebantur. Notum est, kuc pertinere emancipationem, eamque trimis venditionibus masculorum, vna seminarum esse peractam. Id autem monendum, Vestales virgines a Numa a patria potestate, et perpetua tutela exemptas, nemini successisse, neque intestatae virginis quemquam, sed bona eius in publicum redacta esse, cuius rei auctor est Labeo apud Gellium (Liber. I. c. 12.) At cum certum esset, legitimas hereditates, solis ciuibus Romanis competere, et iisdem modis,

D 2

quibus

## XXVIII

quibus ciuitatis et libertatis, etiam suitatis iura amitti: quaestum est, an si inter disparis conditionis personas matrimonium esset contractum, ex hoc matrimonio nati suorum iura haberent? Initio forsan mitior praeualuit sententia, sed lege postmodum definita est quaestio. Nascebantur enim, ante SCtum ad Diui Hadriani orationem factum, ex ciue Romana et peregrino similiter peregrini non ciues Romani ex lege Mensia, vel, si Bachii de hac lege coniecuram recipimus, Sentia. Cui quidem ex conieuctura sententiae non leue argumentum mili accedere videatur ex verbis Vlpiani in fragmentis (Tit. VII. §. 4.) et huius loci emendatione Pithoei in notis ad Coll. legg. Mosaic. et Rom. Tit. XVI. ex qua quidem apparet, lege Aelia Sentia de hoc argumento aliquid fuisse cautum. Sciendum enim est, si per errorem tale matrimonium factum esse probaretur, liberos ex eo natos ciuitatis et suitatis iura accepisse, idque, si Pithoei emendationem recipias, (quam ipse probat Cuiacius Obseruat. Libr. XV. c. 13.) ex lege Aelia Sentia.

Iam deficientibus suis heredibus, legitimā ex lege decemvirali agnatorum erat successio. Cum autem veteres ICti paullo obscurius definiuerint agnatos, quam vt a suis discerni possent, an filius proximus patris agnatus sit, agitata est quaestio. Pomponius (cap. 12. D. de suis et legitimis hered.) ait. Contrarium innuere videtur Papinianus, (cap. VIII. D. vnde liberi) qui de filio exheredato ita loquitur: *si non suus heres est, quo iure heres erit, qui sine dubio non est agnatus?* Subtiliter ait Cuiacius, (Obseruat. Libr. XIV. c. II.) non negari suum esse agnatum, sed non suum. Hotomannus (Libr. I. Obseruat. cap. 17.) negans, suum esse agnatum, mauult Pomponii verba ita legere; *Agnatus non est.* Quam controversiam accurate et subtiliter tractauit Perillistris Gebauerus (in supra laudata Diff.) Verum negari non potest, suos heredes inter agnatos proximos esse, et ita generali agnatorum nomine filium quoque venire. *Quod si quaeris, an tanquam proximus agnatus filius patri succedit?*

dat? negamus. Alia enim fiorum, alia agnatorum est successio. Praeterquam enim, quod in agnatis non necessaria est hereditatis aditio, sequeretur etiam, fratrem pronepoti praefendum esse, si protopos agnationis iure succederet. Recte igitur existimat Pomponius, filium patris proximum agnatum esse, i. e. generali agnatorum nomine posse intelligi filium, neque necesse est, ut cum Hotomano (Libr. I. Obseruat. cap. XVI.) legamus, *agnatus non est*. Non enim contradicit Papinianus, eo in loco negans nepotem non esse inter agnatos, vbi, quo iure exheredati filius possit succedere, quaeritur. Nam si in potestate erat filius, appellatione sui continebatur: sin emancipatus, ne agnationis quidem iure poterat succedere, cum emancipati extrateorum loco habeantur. Primum autem inter agnatos locum occupant consanguinei. Est enim consanguinitas agnationis species, non autem cognitionis naturalis. Cuius verborum proprietatis ex veterum ICtorum fragmentis, aliorumque scriptorum libris multa collegit exempla Iac. Cuiacius (Libr. XI. Obseruat. c. 16.) Ex quo iam facile appareat, consanguinitatis notioni non repugnare, vxorem marito per in manum conuentionem coniunctam, et adoptiuos, hoc nomine fuisse insignitos. Inde enim, quod adoptio non ius fanguinis, sed agnationis tribuit, evenit, ut in adoptionem datus, iis solis, quibus agnascetur, cognatus fieret, quibus non agnascetur, nec cognatus. Quod discrimen praetor in edicto *vnde cognati* obseruauit. (cap. I. §. 4. D. *vnde cognati*.) Quapropter probabilis mihi est Cuiacii coniectura, verba Iustiniiani §. 2. Inst. de leg. agn. Succ. quae sic eduntur: *quin si impropre consanguinei appellantur, ita emendantis, quin si propriæ.* Sed a quo tempore consanguinei ab agnatis fuerint distincti, quaeritur? Paullus (Sent. Recept. Libr. IV. Tit. 8.) sene, inquit, *consanguineos lex non apprebenderat.* At interpretatione prudentum *primum inter agnatos locum acceperunt.* Godofredus legit *comprehenderat*, (Libr. III. Prob. ad Tab. II.) Quod recte reprehendit Schultingius. Praferenda enim est

prior lectio. Non apprehenderat lex *consanguineos*, hoc potest indicare, non expreſſe iis inter agnatos locum concesſerat, sed sub generali agnatorum nomine vocauerat. Optime verba Paulli interpretantur Imperatores (in leg. 3. Cod. quorum bon.) qui, de consanguineis dicunt, *prudentum omnia responſa, et ipsius naturae legem eos ſucceſſores feciſſe.* Quod ſi cauſam quaeris, qua moti veteres ICti consanguineos paulo accuratius ab reliquis agnatis diſtinixerint, in illa iuriſ antiqui regula ineſſe videtur; ad feminas vltra consanguineorum gradum hereditates non pertinere. Cum enim eruptae per plebiscitum Voconium mulieribus hereditates, benigna prudentum interpretatione consanguineis redditae eſſent, euenit, vt hic agnationis gradus ſpeciale quoddam ius ab agnatorum gradu diuersum acciperet.

Deficientibus consanguineis ad reliquos agnatos proximos deuoluebatur ſuccelio. Quae quidem proximitas ex eo tempore, quo certum erat, intestatum quem deceſſile, ceneſebatur. Quod ſi quis relictō testamento deceſſit, is etiam intestatus habetur, quam primum conſtat, neminem ex eo testamento heredem eſſe velle. At cum lex noſtra proximum tantum vocaſſet, agitata eſt inter veteres ICtos quaefatio, (quae recentiori aetate inter iuriſ Iuſtinianeſ interpretes renouata eſt,) vtrum ſcilicet fratrū filii in stirpes, an in capita ſuccedere debeant? Definita haec controverſia eſt fori diſputatione, placuisse enim, vt in capita ſuccedant, auctor eſt Caius (apud Coll. legg. Mos et Rom. Tit. XVI.) Quod ſi plures eiusdem gradus eſſent, er quidam eorum hereditatem ad ſe pertinere nollent, accreſcebat eius pars reliquis coheredibus, ſed rei non personae, hinc habes cauſam propter quam hoc ius ad eius, qui adiit, heredes tranſeat, et regulae, quam tradit Caius, (cap. III. §. 1. D. de acq. vel omitt. hered.) Qui ſemel aliqua ex parte heres exſlitit, deficientium partes etiam inuitus excipit, i. e. tacite ei deficientium partes accreſcunt. Quod ſi nemo ex eo gradu adiicit? Respondent, ſucceſſioni in hoc iure non locum fuſſe.

At

At si accuratius hanc sententiam examinaueris, inuenies profecto, multis dubitationibus eam esse obnoxian. Sed rationem reddamus, cur contra Ranchini, aliorumque auctoritatem eam in dubium vocemus. Duplex me causa mouet. Primo enim quaero, ad quem deficiente proximo agnato pertinuerit hereditas? ad gentiles non potuit: secundum verba enim tum demum gentilibus locus fuit, si nulli omnino superercent agnati. Si quis dicat, aequitatis causa benignorem prudentibus interpretationem placuisse, eveniret, ut agnati tunc quoque obstitissent gentilibus, cum dubium non esset, eos inter gentiles fuisse proximos. At forsitan pertinuit hereditas ad aerarium. Inter veteres ICTos sane nemo est, qui ad hanc quaestione delatus, caducitatris mentionem faciat. Adduxit id ipsum Baldunum (in Iustiniano Libri. IV.) ut dissimulationis accusaret Vlpianum, quod, de legitimis hereditatibus dicens, legis caducariae mentionem non fecerit. Sed, praeterquam quod haec reprehensio in Vlpianum non cadit, qui saepissime huius iuris mentionem fecit, ex eo quoque, quod lex Iulia ius accrescendi legitimis heredibus reliquerit, satis appetat, hac aetate successionem in heredibus intestatorum iam obtinuisse, sive prudentum interpretatione, sive edicto successorio, iam fuerit introducta. Tandem, quod caput rei est, in tutela legitima, deficiente proximo agnato, onus tutelae ad sequentem pertinuisse, certum est, etsi lex XII. Tabb. eundum ordinem in deferenda tutela, quam in hereditatibus seruauit. Probabile igitur non potest videri, ICTos, quibus nota erat regula, quam tradit Scaevola (cap. LXIII. D. d. R. I.) *tutelam et hereditatem pari passu ire*, in deferendo onere tutelae extensua, in hereditatibus autem deferendis restrictiva interpretatione fuisse vsos. Quapropter negari profecto non potest, probabile saltem esse, proximum agnatum reliquos non ita ab hereditate exclusisse, ut, deficiente eo, reliqui plane nihil iuris habuerint, sed hanc solam proximitatis fuisse vim, ut in capita, non in stirpes succederetur.

retur. Cui quidem sententiae bene conueniunt, quae scripsit Caius (Liber. II. Inst. Tit. III. §. 6.) Scio tamen in contraria sententia esse Iustinianum (§. 7. Iur. de legit. agn. Succ.) Si igitur eius auctoritatem sequimur, non improbabilis erit sententia, si quis dicat, ad aerarium pertinuisse hereditatem, vsque dum praetores hanc prudentum interpretationem successorio edicto corrigerent. A quo tempore in successione iure agnationis sexus differentia fuerit obseruata, ex supra dictis facile poterit intelligi. Lege XII. Tabb. agnatos nulla habita sexus differentia fuisse admissos, tradunt Paullus sentent. recept. (Liber. IV. Tit. VIII. §. 22. et Iustinianus l. 14. 15. Cod. de legit. §. 3. Inst. de legit. agnat. succesi.) Ceterum legitimas agnatorum hereditates iisdem modis, quibus ciuitatis et familiae jura, exspirasse, nobis etiam non monentibus quisque intelliget. Iam, deficientibus agnatis, decemuiri pro studio suo conseruandi familias, a' familia ad gentem processerunt. Vna enim gens plures continebat familias, quibus commune erat nomen gentilium. Quare Cicero in topicis (c. VI.) Gentiles, inquit, sunt qui inter se eodem nomine sunt, quorum maiorum nemo seruitutem seruuit, qui capite non sunt minut. De quibus satis exposuit post alios Heiniccius in syntagma. Antiq. Rom. (Liber. III. Tit. 3. §. 2.) vt, quomodo familiae inter se fuerint distinctae, inutile foret multis exponere. Quod ad gentilium successionem attinet, pauca proposita reperimus a Ictis, nec mirum, quia gentilium ius iam suis temporibus in desuetudinem abiisse testatur Caius (Liber. II. Inst. Tit. VIII. §. 6.) sed eadem eorum, quam in agnatis obseruauimus, obtinuit sine dubio successio, nisi forsan ex Ciceronis definitione, quam Scaeula auctore proposuit, id deducamus, libertinum haec iura non potuisse assequi, etiamsi ab ingenuo adoptatus fuerit. Eos enim Cicero gentiles vocat, quorum maiorum nemo seruitutem seruuerit. Ad quem quidem locum pertinere videtur celebris inter Marcellos et Claudio's controuersia, cuius meminit Cicero in topicis. (Liber. I. cap. XVI.)

Alterum

Alterum legis decemuiralis de successione intestatorum caput ita restituit Godofredus, *si libertus intestato moritur, cui suus heres nec existabit, ast patronus patronue liberi escint ex ea familia in eam familiam proximo pecunia additor.* Priora huius legis verba depromisit ex Fragmento Vlpiani XXIX. i. quo quidem loco Vlpianus ait, ciuis Romani liberti hereditatem, si intestato sine suo herede deceperit, patrono deferri, et §. 4. eiusdem Tituli, quo liberis patroni eadem iura in bonis libertorum parentum suorum, quam quae ipsi patroni habent, tribuantur. Verba *ex ea familia in eam familiam* exstant in cap. 195. §. 1. D. de V. S. Profert item hoc caput Vlpianus cap. XI. D. de iure patron. et lib. singulari Tit. de suis heredibus apud Coll. legg. Mos. et Rom. Tit. XVI. Memorat et Iustinianus §. 3. Inst. de success. libert. et si Marcilio credimus, etiam §. 3. de bon. poss. ubi mentio iniicitur bonorum possessionis, a verbis initialibus editi, *tanquam ex familia nominatae.* Plura capita de Successione iure Patronatus ex lege XII. Tab. restituit Prateius (in iurisprudentia veteri) quae tamen magis ex interpretatione legis nata, quam in ipsa lege decemuirali fuisse videntur. Quod si huius instituti causam queraris, ea facile ex consilio decemuirorum in hac successione ordinanda reddi poterit. Cum enim decemuiri vellent, ut quantum fieri posset bona in familia conservarentur, libertus autem, si in familia patroni mansisset, partem hereditatis constitueret; hac lege effecerunt, vt quod manumissione amissum esset, successionis lege ad familiam rediret. Inde evenit, ut libertis, quibus, si sine suis heredibus decederent, neque agnati neque gentiles esse poterant, servorum enim olim nulla cognatio intelligebatur in causa successionis, patronos constituerent successores. Non tamen putamus, patronos libertis agnationis iure successisse, omnis enim agnatio, naturali, vel civili vinculo contrahitur, et mutuum tribuit ius; hoc loco vtrumque deficit. Forsan hanc ipsam differentiam obseruauit lex nostra in verbis: *ex ea familia in eam familiam,*

E

quae,

## XXXIV

quae, in tanta verborum parsimonia, quae in hac lege deprehenditur, sane non sine causa adhibita fuerunt. Cum enim, ut Cicero ait, agnationibus familiarum distinguantur status: Decemviri verba *ex ea familia in eam familiam* ideo in legum hoc opere adhibuerunt, ut accurate agnations distinguerent. Conuenit haec explicatio consilio Decemuirorum, nec contraria est notioni familiae; ait enim Vlpianus (cap. 195. d. V. S.) *Communi iure dicimus familiam omnium agnatorum.* Ex ipsis autem verbis, quibus lex patronum ad successionem vocauit, patet, eam obtinuisse iure patronatus successionem, ut filio patroni superflite, nepos ex alio, iam defuncto, omnino ab hereditate excluderetur. Si plures erant manumissiores, singuli partes hereditatis accipiebant: nam ad eos omnes etiam onus tutelae pertinuit. Vtrum autem gentiles a successione in bona liberti hac lege fuerint exclusi, quaesitum est. Mihi potior videtur causa eorum, qui haec iura gentilibus negant. Quia inquit enim recipias sententiam, siue cum Godofredo et Schultingio agnationis iure patronum liberto successisse statuas, siue in contrariam discedas partem, nihil iuris poterit gentilibus in hac successione tribui. Iis enim, qui priori sententiae sunt addicti, obstat Scaeuelae definitio, ex qua gentilitatis iura in libertum, et cum mutua sint, etiam in gentiles patroni cadere non possunt; alteris autem ipsa legis verba *ex ea familia in eam familiam* obstat, quibus gentiles, qui familiae appellatione non veniunt, excluduntur. Ultimo loco notandum quoque venit, a Ictis cautionem esse inuentam, ut patres filii emancipatis, quibus ciuili ratione succedere non possent, facta ipsis a fiduciario patre remancipatione, quasi ex hoc legis decemuiralis capite in successionem viderentur venire. Duplicem autem, subsequente aetate, hoc ius de patronorum successione subiit immutationem. Alteram, introductam per plebisitum Voconium discrimine sexus: inde enim euenit, ut praetorio iure plus masculis patroni liberis, quam feminis tribueretur: alteram, cum praetores ius ciuile

civile edicis inciperent interpretari, Quae omnia propterea non persequar, quod infra, ad singula edicta, vel leges, opportunitas dicendi dabitur occasio.

## III.

## DE LEGE VOCONIA.

Huic intestatorum legi primum derogauit Plebiscitum Voconium: cui illustrando cum doctissimi contigerint interpretes, Balduinus, Perizonius et Wielingius: nihil ea in re nobis relietum videtur, quam ut rationes reddamus, quibus factum sit, ut illud Plebiscitum ad testamenta pertinens, etiam ad causam intestatorum referretur. Cum igitur iure civili antiquo legitimae successiones suitatis et agnationis vinculis continerentur, filias quidem et mulieres suitatis vel agnationis iure admitti potuisse, credibile est. Sed iam ante legem Voconiam factum est, ut feminae, quae in alienam familiam transiissent, ab hereditate paterna excluderentur. Enimvero compensabant Romani magnitudine dotium et libertate testandi iuris antiqui in hac causa rigorem, ut bona ad conferuandum splendorem familiae necessaria ad mulieres transirent, quippe quae paternum nomen et memoriam non possent tueri. Hac igitur causa moti, et quod paupertatem et parsimoniam optimum in mulieribus virtutis custodem crederent, primo capite huius tribunitiae rogationis constituerunt, ut qui post Aul. Postumium et Q. Fulvium censores, censi essent, heredem virginem, neve mulierem facerent; neve mulieri ultra centum millia HS. legarent. Exstant haec verba apud Cic. Verr. I. 42. 43. Dio. Cass. Libr. LVI. Pr. Inst. de leg. Falcid. et Aurelium Augustinum de civ. Dei Lib. III. c. 21. 25. Vix autem credibile est, noluisse Voconium hereditates ex testamento peruenire ad eas, quae nullo exstante testamento, si in potestate mansissent, ab intestato succederent, vel quibus magnitudine dotis posset compensari, quod legis rigore

## XXXVI

estet detractum. Certum igitur habemus, mulieres a successo-  
nibus ab intestato hac tribunitia rogatione ita esse exclusas, vt  
ne quidem ad parentum legitimam hereditatem nisi aliqua in  
parte admitterentur. Si enim dicendum, quod res est, non  
ita ab omni successione remotas eas putamus, vt plane nihil ex  
paterna hereditate perciperent, quod sane durius fuisset, quam  
vt Romanorum moribus conueniret: sed partem quandam iis  
fuisse constitutam, quam vel dotis nomine, vel ab intestato le-  
gitimae loco capere possebant. Neque nobis hanc ex coniectura  
sententiam penitus vindicamus, iam dudum enim Wielingius  
(in Lect. Iur. civ. Libr. II. cap. XXII.) certam dotum quanti-  
tatem hac lege fuisse praefinitam coniecit, et ex Ciceronis ver-  
bis (Libr. II. de fin. bon. et mal. c. 17. et Libr. I. in Verr. c. 42.)  
suae causae quaesuit argumentum. Scimus ex Dione non li-  
cuisse per legem Voconiam mulieribus maiorem XXV. millibus  
Drachmarum vel centum millibus Sesteriorum *δσταυ μληγονομεν*,  
i. e. hereditate vel testamento capere. Erat haec summa centum  
millium HS. quarta pars maximi census. Putamus igitur, quar-  
tam partem maximi census hac lege fuisse constitutam, quam vel  
dotis, vel legitimae loco ex hereditate caperent feminae. Non  
enim quartam omnium bonorum constitutam fuisse clare indi-  
cat Gellius (Libr. 20. c. 1.) qui legem Voconiam iis annume-  
rat legibus, quae opulentia ciuitatis essent obliteratae, fuisse  
enim quarta pars bonorum, crescente opulentia ciuitatis et ipsa  
opulentior, quia quo maiores quis reliquisset opes, eo vberio-  
res has partes fuisse certum est. Multum quoque differebat  
haec quarta ab illa Falcidiae legis, cum non in fauorem heredis,  
sed ideo esset introducta, ne cui plus capere ex hereditate lice-  
ret. Quarta enim, cuius mentionem facit Cassius, ad intestato-  
rum quoque hereditates pertinuisse verum est, et ex Roma-  
norum ingenio, cui non conuenire videretur, vt mulieres plane  
ab hereditate vellent exclusas, et verbis Gellii (Libr. 20. 1.)  
qui Voconium Plebiscitum de coercendis mulierum hereditati-  
bus,

bus nominat, denique ex ipsa huius legis ratione.<sup>17</sup> Cum enim  
hac lege Romanis potestas quartam partem maximi census ex-  
traneis quoque mulieribus relinquendi data esset, non credibile  
est, durius egisse Voconium cum iis, quibus naturali ratione de-  
bebatur successio, quam cum extraneis, quibus quartam par-  
tem maximi census ex testamento capiendi dederat facultatem.  
Crescente autem opulentia ciuitatis, mutatisque moribus, cum  
seuerior disciplina in desuetudinem abiret, haec quoque lex te-  
ste Gellio (Liber. XX. c. 7.) inter alias opulentia ciuitatis ob-  
litterata atque opera est. Cum enim mollioris ingenii Ro-  
mani durum crederent, mulieres ab hereditatibus excludi et  
quarta maximi census pro opulentia ciuitatis contempnenda vi-  
deretur, partim legis vocabulo *census* calumniabantur, partim  
fideicommissis ad eludendam legem abuti coeperunt. Iam Ci-  
ceronis temporibus legem Voconiam inoribus immutata fuisse  
ex multis locis maxime ex Verr. I. c. 41. et de fin. II. 17. satis  
apparet. Coepit enim lex ad eos, qui in censum relati essent,  
restringi. Sed Augusti temporibus nondum omnia legis no-  
stra vestigia deleta fuisse, patet ex eo, quod teste Dione (Liber.  
LV. sub init. et LVI. ad ann. 767.) Augustus a Senatu impetra-  
uerat, vt Liuiae, quam ex triente instituerat, tantum praeter  
legem posset relinquere. Haec enim verba, de lege Voconia, non  
de Papia Popea, vti Perizonio et Heineccio placuit, interpretan-  
da esse, ex eo, quod Lex Papia hereditates non prohibuerat, sed  
prohibitas per legem Voconiam in fecunditatis premium quibus-  
dam reddiderat, facile apparet. Recentioribus inde temporibus  
lex moribus, interpretatione, et editio *unde cognati* fere omnis  
sublata est, ita, vt Antonini Pii temporibus penitus oblitterata  
esset. Mansere tamen eius in iure vestigia. Feminas enim ad  
hereditates ultra consanguineas successiones non fuisse admis-  
tas; idque iure civili Voconiana ratione fuisse effectum, auctor  
est Paulus (Sent. recept. Liber. IV. Tit. 8.) Diuersimodo qui-  
dem hic locus ab interpretibus editus est, sunt qui legant, *id-*

### XXXVIII

que iure ciuili vel Voconia rogatione videtur effectum. Colligunt ex dubia ratione dicendi, non constitisse Paullo, qua lege vel ratione id fuerit introductum (vid. Perizonium in Diss. ad leg. Vocon. inter Dissertationes coniunctim editas pag. 122. et Schulting. ad Paul. sent. Recept. Libr. IV. Tit. VIII.) Sed praeferendam putamus priorem lectio[n]em, ipsa enim lege haec non fuisse faneita, omnes veterum de hac lege sententiae euincunt. Nullus autem sensus, qui magis conueniat verbis ICti reddi poterit, quam interpretatione prudentum factum esse, ut legitima mulierum successio intra consanguinitatis gradum restricta maneret. Quod tamen non ita intelligendum, quasi feminae prudentum auctoritate exclusae fuerint a legitimis successoribus, sed ita potius, benigna eorum interpretatione diu post legem Voconiam consanguineis redditas esse legitimas hereditates. Ciceronis temporibus exclusas adhuc filias fuisse ex P. Annii testamento bene coniecit Wielingius (Leet. iur. civ. Libr. II. c. III.) Differentia autem sexus Voconiana ratione introducta, vsque ad Iustinianum mansit, qui constitutione in l. 14. Cod. de legit. hered. omnem in successione sexus differentiam sustulit.

### DE ORIGINE SUCCESSIONIS PRAETORIAE.

Cum edictis praetor iura ciuilia interpretaretur, non potuit non angusta illa decemuirorum de successione verba extenderet. Cum autem praetorum Romanorum series et historia adhuc desideretur, quo tempore initium ceperint hae praetoriae successiones, quibusue inuentae auctoribus, non satis accurate indicari potest. Pleraque tamen ultimae reipublicae temporibus videntur introducta, quemadmodum verba apud Ciceronem (Liber. I. in Verr. Cap. XLV.) ex edicto Verris de bon. poss. contra tabulas, de bonorum possessione secundum tabu-

tabulas apud Valerium Max. (Lib. VII. cap. 7.) et L. Sisenae Rerum Romanarum auctoris, qui anno circiter p. u. c. 100 v. vixit, edictum, cuius in Fragm. orationis pro C. Cornelio mentio fit, et tandem Seruii Sulpicij et Auli Ofiliij aliorumque a Pomponio (cap. 2. §. 44.) commemoratorum commentarii ad edicta satis demonstrant. Facit autem et sententia legis decein viralis, et ipsa quarundam possessionum aequitas, ut credamus, iam ante originem edictorum annuorum, quae crescente negotiorum et litium multitudine proponerentur, successionem ex aequitate et moribus quibusdam personis fuisse datam. Sed quia certam formam hae successiones per edicta annua acceperunt, de horum quoque origine quaeritur. Multa de edictis perpetuis liberae reipublicae huius loci illustrandi causa disputauit Wielingius. (Lect. iur. civ. Libr. II. cap. XXVIII.) Sed SCtum, quod ex actis diurnis apud Pighium (Tom. II. p. 378.) deducunt, supposititum est. Quod optime docuit Vir summe Venerandus Ernestius (in Excurs. ad Suetonium in Caes. cap. 20.) Neque Corneliae rogationi quae vulgo de edictis perpetuis inscribitur haec origo tribui potest, quippe qua rogatione hoc solum effectum est, vt et perpetuo praetores ex edictis suis ius redderent, nec proposita edicta vlo modo immutarent, quod ex verbis Asconii satis clare demonstrauit Bachius (Hist. Iur. Libr. II. Cap. II. §. 5.) et quod ipsum verba Cassii (Libr. XXXVI.) licet in contrariam partem adducta indicare videntur, ait enim; Ἐσηγήσατο πατέρας Χρήστος τε ἐνδύσας ἀντριῶν τὸ δίκαιον, διὸς χρήσονται, προλέγειν καὶ μηδὲν ἀπ' αὐτῶν περιστρέψεται. Rogationem, scilicet tult, vt statim ab initio magistratus praedicerent, quo iure essent usuri, deinde ne ab eo iure deflecerent. Facile igitur appetet ante Hadrianum edicta perpetua non fuisse. Neque etiam annuorum edictorum originem huic lege tribui posse, contra Pighium ostendit Wielingius (l. c.) Quapropter Bachius a praeitura potius peregrina, a. u. c. 10 x, vt viris doctis videtur, instituta,

stituta, cum iis temporibus leges litibus negotiisque non sufficerent, aniuorum edictorum deducit originem. Vix tamen mihi persuadeo, Romanos, tanto temporis spatio, ob negotiorum frequentiam, edictis potuisse carere. Cum autem primis temporibus Praetores admodum modesti in emendando iure ciuili essent, bonorum possessione, iis duntaxat, quibus ius ciuile non prospexerat, videntur subuenisse. Postea cum ex uno edicto in alterum haec iura transferrentur, et praetores sensim omnes iuris antiqui angustias corrigerent, factum est, ut Ciceronis aetate jurisprudentia, et ita sine dubio etiam succedendi ratio, quae iis temporibus obtinebat, multae enim postea contigerunt immutationes, non ut antea e duodecim tabulis, sed ex edictis hauriretur (Cic. de legg. I. 5. Orat. pro Rosc. Com. cap. VIII.) Nostra igitur collectio haec est, primam successonis praetoriae originem ab instituta fere praetura esse petendam, edictis autem annuis certam accepisse formam et seculo urbis septimo, quo ius honorarium ad aliquam sui maturitatem peruererat, pleraque succedendi iura ex eo esse petita, sub imperatoribus denique ad eam, qua nunc conspicitur, perfectionem praetorias successiones esse perlatas. Nunquam autem putamus, praetorum Romanorum eam fuisse potestatem, ut pristinam reipublicae formam suis edictis immutare potuerint. Vanae enim sunt Heineccii in praetores irae. Ipse Stryckius non satis sibi constat (Diff. de succ. praet. hod. necesse) cum praetorem ius ciuile directe corrigerre non posse vehementer disputat, parum tamen suae opinionis memor, antiquis temporibus, quibus apud Senatum legum ferendarum potestas fuerit, praetorem non tam ex aequitate, quam pro arbitrio suo ius reddisse, statuit. Enimvero largiamur, multa edictis inesse, quae vel mera praetoris indulgentia introducta, vel contraria legibus possint videri. Sed cogitandum est, leges decemuirales nimis generales fuisse, quam ut ad quamcumque causam potuissent accommodari. Postea, mutata reipublicae forma, multa praetores

res edixerunt, quae videbantur non erant contraria legibus, cum his non a praetoribus, sed a populo vniuerso moribus iam esset derogatum. Quae quidem ideo putabamus praemittenda esse, cum nulla in causa praetor, magis quid ipsi licret, quam in successionibus deferendis ostenderit, cumque ex his ipsis fontibus causae, et origines successoriorum edictorum sint deducendae. Effecit id ipsum ut praetor, intelligens dominium iuris ciuilis esse, successiones, quas deferebat, naturali possessionis vocabulo insigniret. Inde ICti inter bonorum possessionem et possessionem distinxerunt. Parum tamen accurate veteres, hanc differentiam obseruaste, (cap. XLII. D. de acqu. vel omitt. hered. cap. IV. §. 4. D. de Off. ei. cui mand. iurisd. cap. XXXIII. §. 1. de rebus autorit. iud. poss. vel vend.) satis ostendunt. Imo hereditatis possessionem apud veteres dici obseruauit Cuiacius (Obseru. IV. c. 16.) vtraque verba coniungit Vlpianus (in §. 1. d. cap.) Ipsa autem bonorum possessionis descriptio, quam tradit Vlpianus (c. 3. §. 2. de bon. poss.) quod sit ius persequendi retinendique patrimonii, quod cuiusque cum moritur fuit, dissentendi praebuit causam. Quapropter Heineccius obscuritatis nomine accusat Vlpianum aliquaque vix ramen admitterendam definitionem substituit (Syntagm. Antiq. Libr. III. c. 15.) ait enim: esse hereditatem personis quibusdam iure ciuili inhabilibus editio arbitrioque praetoris datam. Vnde autem constabat Heineccio in arbitrio praetoris fuisse, vtrum bonorum possessionem dare voluerit an non? sane exempla ab Heineccio adducta hoc non efficiunt. Causae enim negatae bonorum possessionis magis ex interceßione consulis et indigno ciue romano vitae genere, quam ex arbitrio praetoris, sunt petendae. Ipsum autem vocabulum *iuris*, quo vtetur in descriptione ICtus, diffensionis materiam praebuit, vtrum ius, quod fundamentum sit actionis, an quo contendimus, denotet. Priori sententiae accessisse video inter alios Alciatum (Liber. IV. Paradox. cap. 2.) in ea oppugnanda post multos Stryckius

F

ckius

## XLII

ckius est versatus. Clare autem indicat Caius (cap. LXIII. §. 9.  
Dig. ad S. C. Tum Trebell.) bonorum possessionem ius tribuere, quo  
persequamur res defuncti, et praetoriaris actiones saepe persecutio-  
num nomine venire, auctor est Vlpianus (cap. CLXXVIII. D. de  
V.S.) Ex ipso autem natura successionis praetoriae variae natae sunt  
eiusdem diuisiones, quas, cum satis sint notae, non necesse est  
h. l. enumerare. Cum autem praetor ad exemplum ciuilium  
et legitimarum actionum remedia, quae fictionibus niterentur,  
proponeret, tales etiam ad bonorum possessiones accommoda-  
vit. Nimurum hae fictitiae actiones non solum bonorum pos-  
sessori, sed et contra eum competebant, ad exemplum ciuilium.  
Veris autem et ciuibus locus ideo non erat, quod bonorum  
possessor ipso iure heres non videretur. Sed videamus, qua  
ratione successionem in lege decemuirali nimis angustis finibus  
circumseptam latiorem praetores, suis edictis reddiderint. Qua  
quidem in causa ne nimium ingenio nostro tribuere videamur,  
si, cum incertae horum iurium sint origines, chronologico or-  
dine ut velimus, edicti perpetui in iis proponendis ordinem  
sequi constituimus, subiecta tamen de cuiusque edicti aetate con-  
iectura. Secutus autem praetor in edicto eundum ordinem est,  
quo lex decemuiralis hanc successionem proposuit. Primo igit-  
ur loco praetorem de testamentis et quidem de bonorum posses-  
sione contra tabulas prima edicti parte egisse auctor est Pompo-  
nius (in cap. II. D. de bon. libert.) Perantiqua haec bono-  
rum possesio est, cum in facilissima nitatur acquisite. Primam  
autem omnium fuisse equidem non crediderim. Etsi enim praet-  
or emancipatos ex Edicto vnde liberi iam vocauerat, tamen  
cum intelligeret, saepe in testamentis emancipatos practeriri,  
hoc demum remedium inuenit, quo ipsis subuentiretur. Forsan  
hoc subsoluit Alciato cum (cap. XIV. Libr. IIII. Parad.) contend-  
deret per bonorum possessionem contra Tabulas testamentum  
rescindi, deinde ex ea vnde liberi succedi. Cui tamen sen-  
tentiae plane repugnant verba Tryphonini (c. XX. §. I. D. de  
bon.

bon. poss. contr. Tabb.) Dabat autem praetor hanc bonorum possessionem liberis in paterno testamento praeteritis non tantum emancipatis, sed et suis, certe utrisque necessaria fuit, quoad ex lege decemuirali liberrima illa testandi potestas obtineret, neendum testamenta, in quibus filius praeteritus esset, nulla redderentur. Neque, id Ciceronis aetate mutatum videtur. Nam (Libr. I. de Orat. c. XXXVII. in fin.) Controversiam suis refert Cicero, an possit paternorum bonorum exheres esse filius, quem pater testamento neque heredem, neque exheredem scripsisset nominatim. Sed postquam ICti induxissent, ut filius in testamento nominatim aut institueretur, aut exheredaretur, filia autem in virilem partem suis, in dimidiam extra necresceret (Caii Inst. Libr. II. Tit. 3. §. 1.) suis non quidem necessaria, sed utilis tamen redditiva est, haec bonorum possesio. Non alio autem ordine liberos ad bonorum possessionem contra tabulas suis vocatos, quam quo ex iure ciuili succederent, affirmat Vlpianus (cap. I. D. de bon. poss. contra Tab.) Huic edicto plura capita subiecerunt praetores, quibus ius praetorium cum ciuili componerent. Hinc praefandorum legatorum necessitas, quae heredibus praetoris incumbit, hinc collatum bonorum emancipatis acquisitorum, tum dotis ad filiam pertinentis. Antiqua haec edicta, et statim ab initio, cum praetor ius ciuile de successione editis inciperet interpretari, proposita esse, ex ipsorum aequitate et necessitate colligimus. Tolle enim haec capita ex edicto praetoris, et omnis sublata erit aequitas. Posterior tamen collationis species post abolitam moribus legem Voconiam videtur inualuisse. Definiuit denique eadem de causa praetor modum, quo emancipati, cum suis heredibus una succederent. Hoc autem aequissimo edicto effecit, ut neque solus veniat emancipatus, nepotesque non emancipatos excludat, neque nepotes suitatis iure patri obessent. Hanc igitur iis praefiniuit successionem, ut emancipato, eiusque liberis, ad quos suitatis iure pertinebat hereditas, ea pars

## XLIV

hereditatis, quae ad emancipatum in potestate manentem pertinuisset, ita competenteret, ut ex parte dimidia emancipatus, ex parte altera eius liberi succederent. Et haec tenus quidem Praetor tum emancipatis, tum suis remedio bonorum possit subuenierat: at quaerebatur, quomodo ventri i. e. ei qui nondum natus, sed in utero esset, subueniretur. At quid opus est hoc edicto cum iure ciuili postumus succedat, immo praeteritus testamentum rumpat? quod liberae reipublicae temporibus iam obtinuisse constat ex Cicerone (de Orat. Libr. I. c. 57.) Laudanda est hoc in loco praetoris aequitas, qui non de ciuili quadam ratione veluti conseruandi testamenti, ventri successione, sed ventris nomine, matri bonorum possessionem tribuit. Quare edicti origo forsan ad ea tempora referri potest, quo secundum legem Voconiam mulieres in perpetua paupertate viuerent. Non dubito autem, hanc bonorum possessionem ad omnes edicti successorii partes pertinuisse, licet praetor eam post bonorum possessionem contra tabulas proposuerit. Quod si causam quaeris, cur edicti conditores ei hunc locum tribuerint, respondeo, quia postumus testamento praeteritus rumpiebat, videbatur quasi contra tabulas bonorum possessio dari, cum mater eius nomine in possessionem mittebatur. Porro impuberibus, quibus controvressia status moueretur, subuentum est, Carboniano edicto. Cuiacius auctorem putat Cn. Carbonem, cuius apud Valerium (Libr. V. c. 3.) mentio fit. Carbonum familia praetoria fuit. Cn. Carbonis meminit Pighius (Annal. vrb. Rom. ad ann. vrb. DCXVII.) Fuit is Caii Carbonis frater, de quo multa apud Ciceronem in Bruto. (XXVII.) A Cneio autem Carbone, cuius meminit Valerius, Pompeius magnus adolescens de paternis bonis dimicans, in foro protectus est. Si igitur aetatem, qua vixit C. Carbo, conferre placet, non improbatore forsan videbitur, hunc ipsum C. Carbonis fratrem, Papirii filium, huius edicti conditorem fuisse. At si quaeris qua causa motus, praetor hoc edictum huic loco scilicet post

post bon. poss. contra tabulas inferuerit. Reddere eam Cuiacius videtur (in Paratit ad Cod. de Carb. Edict.) qui assert, hanc bonorum possessionem maxime ad liberos aetate paruos, et paterno testamento praeteritos, quibus controuersia status fieret, pertinuisse, vt, controuersia status in pubertatis tempus delata, bonorum possessionem contra tabulas nanciscerentur. Quam quidem sententiam confirmare videtur Vlpianus (Cap. I. §. 3. D. de Edict. Carb.) qui hanc bon. poss. iis competere affirmat, quibus contra tabulas bonorum possessio detur, reliquis omnibus negat. At quid opus est hoc edicto, cum, si quis in testamento paterno praeteritus est, bonorum possessio contra tabulas concedatur? Sed dupli ratione puto, bonorum possessionem contra tabulas, delata in aliud tempus ex hoc edicto controuersia, dari potuisse, primum praeteritis, quibus a coheredibus quaestio status moueretur, negareturque bon. poss. contra tabulas competere, deinde, quibus ipse testator controuersiam fecerat, quod clare indicat Vlpianus (c. I. §. 4. D. de Carb. edicto.) Neque intererat, utrum controuersia de familia an de statu moueretur, si simul de hereditate quaereretur, ut hoc edictum prodesset. Ea vero huius edicti fuit ratio, ut possessio non statim ex edicto, sed interposito decreto daretur. Duplex enim requirebatur causae cognitio, vna dandae Carboniana possessionis, quae propter manifestam potentium calumniam negabatur, altera, an quaestio status debeat differri, poterat enim probationis et testimoniis causa interest, ut repraefentaretur.

Sed nunc tempus est, ut ad ea edicta transeamus, quibus praetor bonorum possessiones ex causa intestati ordinavit. Ac primam bonorum possessionem, quae sese nobis offert, quamque *vnde liberi* vocant, non solum iuris antiqui rigor, sed aquitas, quae ei inest, probat omnium fuisse antiquissimam. Neque improbabili coniectione Bachius (Hist. Iur. Libr. II. c. 2. Sect. III. §. 12.) emancipatis bonorum paternorum possessionem aequitate

suorum heredum, moribus datam, iis quidem temporibus, quibus ciues Romani ipsi sua sponte aequitatis amantissimi essent, i. e. antiquissimis, affirmat. Antiquorem esse ea, quae ex prima parte edicti dicitur competere, ipsa suadet ratio, quis enim credit praetorem primum subuenisse emancipatis in testamento praeteritis, cum, si sine testamento decederet pater, nihil percepturi essent. Praeterea praetor aequalitatem quanquam inter suos et emancipatos seruavit. Nec aliter emancipatis hanc bonorum possessionem concessit, quam si parati essent, recte cauere iis, qui in potestate mansissent, bona se, quae moriente patre habuissent, collatuos. Etsi autem emancipatis hoc edicto subuenerat praetor, tamen in adoptionem datos, quod patrem et familiam haberent, neglexit. At agitata est inter veteres ICtos quaestio an, si pater in adoptionem se dedisset, filio ab eo emancipato neganda sit bon. poss. contra tabulas parentis? Vlpianus (Cap. 17. D. de bon. poss. contra tab.) potiorem putat causam esse Marcelli, qui adhibita hac ipsa ratione, quam commenmorauimus, hanc bon. poss. emancipatis in patris adoptati bona competere ait. (cap. 17. D. de bonor. poss. contra tabulas.) Eademque de causa, et quod vinculum per adoptionem contractum emancipatione dissoluitur, ad adoptios si emancipentur hoc edictum non pertinuit, (Vlp. Fragn. XXVIII. §. 8.) Cum hoc modo praetor antiquissimis temporibus iuris antiqui rigorem emendasset, sequenti tempore, quo ius praetorium crebriori vnu obtinuerat, effecit, ut omnis successio vti antea ex duodecim Tabulis ex iure praetorio hauriretur. Praetor enim legitimos, tanquam heredes intestati, sed παρατάνως i. e. large et cum extensione vocauit. Ac primo rationem habuit temporis, verba enim, quem ei heredem esse oportaret, non ad mortem testatoris, sed ad illud tempus, quo bonorum possessio ab intestato peti potuisset, referuntur. Igitur, si quis, dum fratri heres deliberaret, deceperit, postea omilla ab eo hereditate non alii, quam patruo legitima

legitima successio erit deferenda. Admittebantur autem legitimi ex hoc edicto, quam primum constaret, cum mortuum esse, cui sui heredes aut omnino nulli essent, aut non successuri, quod contingit, vtraque repudiata bonorum possessione, *vnde liberi, et unde legitimi*, nam si prior omittatur, in altera deferenda sui heredes legitimis obstabunt. Quare Vlpianus ait hanc bonorum possessionem omnibus competere, siue lex siue SCtum faciat heredem, et masculorum et feminarum, ingenuorum et libertinorum esse. Quod tamen de ea aetate intelligendum est, qua Vlpianus vixit, non de antiqua, cum enim praetor legitimos vocaret, eos vocavit, qui ex reipublicae Romanae forma legitimi forent.

Tertio inter edicta successoria, quibus praetor in edicto successionem ex causa intestati ordinavit, loco in edicto perpetuo fuit bonorum possessio. *Vnde decem personae.* Ex ipsa edicti ratione patet, antiquum haberri non posse, vocavit enim praetor inter decem personas feminas et cognatos. Neque magna eius fuit utilitas. Iam ante Iustinianum exiguum eius usum fuisse colligimus ex Modestino (cap. I. D. qui Ord. in bon. poss. seruet.) nisi magis placet in hoc loco Triboniani manum arguere, et ex Vlpiano (Fragm. XXVIII. 7.) qui, omissa hac septem tantum bonorum possessionum genera recenset. Alio autem in loco eius mentionem facit, non tamen inter reliquas bonorum possessiones (apud Coll. legg. Mos. et Rom. Tit. 16.) Interim dubitari potest, an ius ciuale prorsus hic defecerit. Multis in contrariam partem disputat Ant. Contius (de hered. et bon. poss.) argumentum inde petens, quod filius patri proximus sit agnatus, verbaque Pomponii (c. 12. D. de suis et legit.) de hoc casu intelligi possint. At quis non videt capitis diminutione tam suitatis quam agnationis iura perire? Hoc praeterea Contium mouit, quod pater filii etiam in adoptionem dati testamentum inofficium dicere potest. Cuius rei testis est Papinianus (c. 14. D. de inoff. test.) Enimuero patri non ciuili ratione, sed naturali prorsus haec querela conce-  
deba-

## XLVIII

debatur. Quid igitur? recte dicimus iure ciuili antiquo patrem emancipato non potuisse succedere. Ideoque cautione opus erat, ut quasi ex lege decemuirali in successionem videtur venire. Nimirum induxerunt Iurisconsulti cautionem, ut pater, cui filius ab extraneo remancipatus esset, eius patronus haberetur. Sic patronatus iure ad successionem admittebatur. Sed praetor, cum edictis suis omnem iurisdictionem ordinaret, hac cautione posthabita, extraneo manumissori decem personas, a Iustiniano (§. 1. Inst. de bon. posf.) nominatas, praeponuit. Causam vero, propter quam maluerint Romani patronatus iure, quam praetoris beneficio succedere, ita ut exiguae utilitatis esset haec bonorum possessio, in eo milii inuenire videor, quod remancipatione patri facta ius extranei manumissoris plane expiraret, in bonorum possessione autem tantum restringeretur. Hinc Iustinianus eam tanquam inutilem plane sustulit, et Iurisperitorum illam cautionem confirmavit. Nec obstat, quod imaginariae venditiones sublatae erant. Nam Iustinianus ius patronatus patri manumissori saluum esse voluit, donec per Nov. (XVIII.) successionem eius ita firmaret, ut in posterum nihil contra moueri posset.

Post suos autem et agnatos tertio successionis ordine praetor cognatos defuncti ad successionem vocauit. Duplex, ni fallor, huius edicti fuit causa, altera, quod iura gentilium sublata essent, altera quod lex Vocationia iamdudum in desuetudinem abiisset. Quia ipsa de causa nimis nolle antiquum haberi. Genitilitatis iura Ciceronis quidem aetate adhuc viguisse, ex controuersia inter Marcellos et Claudio de hereditate orta, cuius Libr. I. de Orat. c. XXXIX. mentio fit, notum est. Sed legem Vocationiam iam Ciceronis temporibus exoleuisse patet (ex Verr. I. c. 41.) Coepit enim testamentaria feminarum successio ad relatos in censum restriangi, et legitima consanguineis fori disputatione reddi. Vterioribus autem huius sexus personis iure ciuili negle-

## XLVIII

neglectis Praetor hoc edicto dedit bonorum possessionem. Quod Augusti demum vel subsequentibus temporibus factum estè ex supra dictis colligo, et si Wielingius, qui seculo urbis septimo feminas et filias edicto vnde cognati admissas putat, dissentire videtur. Ciceronis enim aetate lex Voconia non tam moribus sublata erat, quam potius calumniosâ interpretatione eludebatur. Me quidem non fugit, Ciceronis aetate filias per praetores ad hereditates fuisse admissas. Sed successio ad eas tantum pertinuit, quibus moribus et interpretatione debebatur ex eorum testamentis, qui censi non essent, cuius rei ipse auctor est Cicero (Verr. I. c. 14.) de P. Annio Afello locutus: *Is, inquit, cum haberet unicam filiam neque census esset, quod eum natura hortabatur, lex nulla prohibebat, fecit, ut filiam bonis suis heredem instruueret, faciebant omnia cum pupilla, legis aequitas, voluntas patris, edicta praetorum et consuetudo iuris eius, quod tunc erat etc.* At grauius argumentum contra nostram sententiam inesse videtur in verbis Ciceronis (Orat. pro Cluentio cap. 15.) quae alio in loco auxilio huius bon. poss. Wielingius (Lect. Iur. civ. Libr. II. c. 24.) interpretatus est, verba haec sunt: *Auitus usque ad illius iudicii tempus, nullum testamentum unquam fecerat, neque enim legare eiusmodi matri poterat in mentem inducere: neque testamento nomen omnino praetermittere parentis. Id cum Oppianicus sciret, neque enim erat obscurum, intelligebat, Auito mortuo bona eius omnia ad matrem esse peruentura.* Exercuit hic locus interpretes. Qua enim ratione tum temporis bona defuncti filii ad matrem poterant pertinere? Wielingius ait: ex edicto vnde cognati, sed sane nondum sublata est dubitatio, qua ratione praetor potuerit cognatos eo tempore vocare, quo gentilitatis iura nondum sublata essent, et lex Voconia nondum moribus, sed tantum calumniosâ interpretatione vocabuli *census* esset sublata. Vocavit autem

G

hoc

hoc edicto Praetor post suos et legitimos non solum cognatos, sed et agnatos capite minutos, quorum legitima iura capitis deminutione quamvis soluta, ipsa tamen natura firma manerent. Neque vero iis solum subuenit, qui per ipsam naturam essent cognati, sed adoptatis quoque, (c. 1. D. vnd. cogn.) hac tamen addita restrictione, ut in adoptiva familia eorum solum nanciserentur cognationem, quibus agnascerentur. Facile autem appareat, ex hac edicti parte liberos matri, sine agnatis defunctae, ante SCtum Orphitianum successisse, immo et vulgo quae sitos, quibus nec agnati, nec consanguinei sunt, est enim consanguinitas agnationis species, hoc edicto non solum matri, sed et sibi inuicem successisse. Vocauit autem praetor proximum cognatum ita, ut si quis proximior nasci speretur, qui in utero fuit viuo eo, de cuius bonorum possessione agitur, sequentiibus obsteret, ideoque post ventrem proximus tunc demum si ille non nascatur, admitti possit. Cognationes ciuili modo contractae capitis deminutione minima peribant. Cumque Praetor non modo ad mortis tempus, sed ad id quoque, quo bonorum possessio petatur, respiciat, euenit, ut, si adoptiuus intra centesimum diem ad bon. poss. datum capite minuatur, ex hoc edicto non possit succedere. Vbi hoc obseruandum, omnia manumissionis iura seruitute ita perempta fuissent, ut nequidem manumissione reciperentur. (c. 7. D. vnd. cogn.)

Quinta bonorum possessio, quam commemorat Iustinianus, inter successiones Intestatorum, a verbis initialibus edicti: *Tanquam ex familia*, (familiam intellige patroni) vel ut Cuiacio placet (Libr. XX. Obseruat. c. 54.) *Tum quem ex familia appellatur*. Notanda est hoc in loco Marcillii coniectura (in interpret. ad XII. Tab. cap. 37.) qui hanc bonorum possessionem, *qua ex familia*, dictam putat propter verba legis decemuiralis *ex ea familia in eam familiam*. Eam quarto loco, inter bonorum possessiones ponit Vlpianus (Fragm. XXVIII. 7.) verbis. *Familiae*

*miliae patroni*, quod vocabulum defuisse in plerisque editionibus notat Schultingius ad hunc locum. Contra in *autopyram*, quod apud Iac. Tilium fuerit, illud se legisse testatur Cuiacius (Obseruat. L. XX. 34.) Hoc Vlpianus ait, (apud Coll. legg. Mos. et Rom.) post familialam patroni vocare praetorem patronum patronamque. Concessit igitur praetor familialae, i.e. agnatis patroni, si neque ipse patronus, neque liberi eius adessent, successionem. Sed mirum sane posset videri, vocasse praetorem primo loco in editio familialam patroni, deinde ipsum patronum eiusque liberos. Videtur id adduxisse Pithoeum, ut mallet Vlpiani verba ita legere, *post familialm liberti vocare praetorem patronum*. Quapropter necesse est, vt de origine huius editi accuratius videamus. Lex XII. Tabularum patronum ad successionem in bona liberti, si intestatus et sine suis heredibus decederet, vocauit. Eueniebat inde, vt patroni, cum propter latissimam libertorum testandi potestatem aliud commodum sperare non possent, ad remunerandum beneficium manumissionis durissimas res exigerent. Quare moderandi honoris causa, quem liberti patronis habere debebant, et quod iniquum videbatur, patronos saepe per liberam hanc testandi potestatem libertorum hereditate defraudari, Rutilius praetor societas lege patrono dimidiā partem bonorum liberti dedit (cap. i. D. de bon. libert.) Postiores autem praetores dimidiae partis bonorum possessionem pollicebantur patrono successionis lege ad imaginem societatis a Rutilio introductae. Cum igitur praetores hoc modo libertorum testandi facultatem coercuissent, subueniendum quoque ab intestato succedentibus rati, bonorum possessionem patrono eiusque liberis dererunt, qua quidem plus inesset, quam in legitima successione ex XII. Tab. nam et contra suos heredes non naturales, quales sunt filius adoptiuus, et vxor quae in manum conuenit, datam constat. Cumque ex lege ciuili Patronus tantum eius-

G 2

quo

que liberi ad hereditatem vocarentur, praetor, omnem familiam patroni, hoc edicto admisit.

Septimo loco praetor ad mutuam successionem virum et vxorem vocavit. Quae quidem successio demum, cum conventiones in manum in desuetudinem abire coepissent, a praetoribus videtur inuenta. Etenim, cum ipso iure et primo quidem loco, inter suos sibi succedere vir et vxor possent, nulla istius rationis necessitas aut utilitas erat. Debebat autem, qui hanc possessionem petere vellent, usque ad mortis tempus in eo matrimonio vixisse: quod iure quidem contractum, nec diuoratio quodam violatum et dissolutum fuisset.

Vltimus demum locus in acquisitione bonorum liberti patroni patronaeque cognatis a praetore datus est, quibus per legem Furiam plus mille assibus capere licebat. (Vlpianus in Frigm. XXVIII. 7.) Ait Cicero: tulit apud maiores nostros legem Cn. Furius de testamentis (pro Balbo cap. VIII.) Annum, quo haec lex lata est, nescimus, quamquam ex coniectura eum tradit Wielingius (Leet. Iur. ciu. Libr. II. c. XVIII.) ao. scil. p. u. c. 151XX. quippe, quo anno Cn. Furius quidam, observante Pighio, inter tribunos fuit. Constitutum est lege, cuius argumentum seruauit Vlpianus, (Frgm. Tit. I. §. 2.) ne liceret plusquam mille asses legati nomine capere, qui plus cepisset quatruplicem solueret, quibusdam tamen personis exceptis. Etsi autem, quas personas lex exceperit, nobis non est traditum, tamen non improbabiliter coniectura Wielingius, eas ad duo hominum genera reuocat: putat enim ingenuis testantibus licuisse ultra mille asses proximis cognatis, hoc est, sobrinis et proximiis tribus iure legare, arguento a lege Iulia ducto (cap. I. D. de leg. Iul. repetund.) libertos autem eadem potestate, erga libertos patroni utri potuisse, vel ex his Vlpiani verbis, ut idem demonstrat, intelligi potest. Qua vero causa commotus praetor legem Furiam, cui tamen sine controuersia vel lege Falcidia,

cida, ex qua quidem cuique quantumcumque pecuniam legare  
 licebat, dummodo quarta hereditatis apud heredem maneret,  
 vel ante iam moribus esset derogatum, tanquam regulam, ad quam  
 hanc bonorum possessionem dirigeret, adhibendam putarit, vix  
 intelligere mihi posse videor. Nisi forte dicamus, praetorem, cum  
 non ad omnes sed tantum ad proximiores edictum pertinere vel-  
 let, rationem a lege Furia desumisse. Nam solitos fuisse Romanos  
 ab antiquitatis legibus interdum rationes desumere, iam obser-  
 vavit Schultingius (ad Iul. Paul. sent. recept. Libr. IV. Tit. VIII.)  
 Ceterum non dubito, causam huius editi maxime hanc fuisse,  
 vt cognati filii, a patre manumisssi, cuius ipse pater patronus  
 esset, eodem modo ad successionem venirent, quo hos et pa-  
 trioti patronum admisso fuisse tradit. Imperator Iustinianus  
 in Basilicis Tom. VI. p. 597. ed. Fabrotti. Iam cum saepe  
 fieret, vt, ad quem primum delata esset hereditas, apud eum  
 non maneret, si neque transmissio ad heredes aut ius adcre-  
 scendi inter coheredes locum inueniret, denique propter  
 cundationem in agnoscendis bonorum possessionibus actiones  
 creditorum differrentur: omnibus his de causis praetor  
 edictum, quo et gradus successionis et tempus agnoscendae bo-  
 norum possessionis definiret, adiiciendum putauit. Forsan  
 non improbabilis esset coniectura, si quis ex verbis Vlpiani,  
 qui ait, *bona populo deferri ex lege Iulia caducaria, si nemo sit*  
*ad quem bonorum possessio possit pertinere*, cuius tamen, eo in  
 loco, quo de legitimis hereditatibus dicebat, plane deme-  
 minisse videtur, colligere vellet, hoc edictum antiquius  
 esse lege Iulia Caducaria. Ostendit sane summa necessi-  
 tas huius editi in iure praetorio de successione, hoc  
 esse antiquissimum. Duo eius fuisse capita puto, alterum,  
 quod successionem inter bonorum possessores dirigeret, alte-  
 rum, quo praetor ordinarium tempus bonorum poss. peten-  
 dae definiret, et C dies utiles, in honorem sanguinis autem

## LIII

annum praefiniret. Cum igitur vtile esset hoc tempus et scienti curreret, merito praetor furiosum et infantem ab eorum numero, quibus hoc tempus cederet, ita exenit, ut, ne patris quidem scientia ignorantis filio, vel curatoris furioso posset nocere. At cum haec praetoris prouidentia nondum satis prospiceret furioso, si curator nollet accipere, inuentum est a Ictis remedium, ne bona iacerent. Ait enim Papinianus (c. I. D. de bon. poss. fur. et infant.) *Quid si curator accipere nolit, nonne iustius atque utilius erit ad eundem modum proximo cuique possessionem dari, ne bona iaceant, quo admisso substitutus cautionem praestare cogitur omnibus iis, quibus bona restitui debent.* In quo capite duplum quaestione Ictus proposuit. Primum quidem furioso eiusque substituto tempus agnoscendae bonorum possessionis cedere negat: deinde querit, an si curator accipere recuset, proximus furiosi, ne bona iaceant, possit admitti. Quem quidem hac conditione admittendum putat, si cautionem iis omnibus, quibus hereditas reddi debeat, si ad furiosum pertinere non possit, praestare velit. Poterat enim fieri, ut furiosus in furore diem obiret, vel ad sanitatem mentis reuocatus, ante decederet, quam hereditatem adiisset. Quare substituto, ad quem hac via hereditas peruenientia esset, cauendum erat de restitutione; deinde, si vel viuo furioso diem obiret, is, qui substitutus esset, vel antequam agnoscere potuisset hereditatem, decederet furiosus, etiam iis, ad quos, si neque primus, neque secundus heres adirent, hereditas esset transmittenda.

Haec quidem fuit antiquioribus temporibus successionis praetoriae forma. *Sed nouissime, inquit, Imperator,* (§. 3. Inst. de bon. poss.) *promittitur edictis iis possessio, quibus, ut detur lege, SCIO, vel Constitutione comprehensum est.* Mirum videri posset praetorem nouo editio ad successionem vocasse eos, qui ex Edicto unde legitimi possent venire, nisi dicamus hoc editio

prae-

praetorem iis solum bonorum possessionem dedisse, qui in iure  
nouo contra pristinam succedendi formam *seorsim* essent vocati.  
Quae differentia redditur ab Vlpiano inter hanc bonorum pos-  
sessionem et eam, *Tum quem ei heredem esse oportet* (cap. vn.  
D. vt ex legg. SCtis bon. poss.) Negat enim dari hanc bo-  
norum possessionem iis, quibus ex XII. Tabb. competit her-  
editas, sed admitti eos tanquam legitimos. Exemplum huius  
bon. possessionis attulit Cuiacius (Obseruatt. Libr. XI. cap. 13.)  
negans illud ex lege Cornelia (ad l. 4. Cod. de portl. re-  
uerf) ad hunc locum pertinere. *Quod refutauit Scipio Gen-*  
*ttilis (de Iurisdictione Libr. I. c. 26.) Quid in hereditate de-*  
*ferenda ius vetus a novo differat, non minus accurate tradit*  
*Caius ad edictum (Cap. I. et III. D. de hered. petition. et VI-*  
*pianus cap. vn. D. vt ex leg. vel SCtis bon. poss. detur.)*

## CONCLVSION.

Haec primordia successionis Romanae in bona intestato-  
rum, ob temporis angustias, quibus nostra qualiscunque indu-  
stria erat inclusa, parum elaborata Tibi tradere cogebamur,  
Lector. Fatemur ingenue, de singulis capitibus plura disputari  
potuisse, sed commodiori tempore narrationis filum pertextu-  
ri, totius libelli lectiōnem repetemus. Quaedam de origine  
legitimae praeterea subiicere, in animo erat, sed veriti, ne li-  
bellus hic pro modulo dissertationis academicae grandior futu-  
rus esset, haec quoque secundis curis relinquenda esse sta-  
tuimus.

---









X 3455260





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



ECIMEN  
IVRIS CIVILIS  
SITVDINES  
S AB INTESTATO  
ROMANOS  
PONENS  
COLLEGII AVCTORIT  
IBI ADITVM  
SSCIENTIAE HONORES  
PERIRET  
BRIS A. C. CICICCLXIL  
TANDVM PROPOSTIT  
OTLIB SCHACHER  
VSQVE CANDIDATVS.  
PSIAE  
LANGENHEMIANA.

1762, #5a

18